Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius

Joannis Simonii Megapolitanorum

Fasciculus III.

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1605

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836

Band (Druck) Freier Zugang

Mk_1430 1-3
~~Mk_3445~~ 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747097836/phys_0002
DFG

IOANNIS SIMONII

Megapolitanorum

FASCICVLVS III.



Quod possum, facio, quantumq; indulget Apollo.
Improba fac melius, si potes, Invidia.

ROSTOCHII,
Typis Reusnerianis, Anno 1605.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836/phys_0007
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836/phys_0008
DFG

MAGNIFICIS ET AMPLISSIMIS

CONSVLIBVS AC SENATORIBVS VRBIS

LVBECÆ,

Dominis meis colendis S. D.

MAgnifici, clariq; viri,
virtute Lubecam
Qui prisca regitis, fama
super æthera notam
Vrbem Saxoniæ: Vagriæ decus Im-
periiq;;
Vandaliæ Reginam: Anſæ caput;
atq; coronam
Balthes: quam Pietas, quam jus,
quam candor, & arctus
Relligionis amor clarant: cui gaza
ſuperbit:

Cui celsis surgunt spectanda palatia tectis:
Quam Schola praelustris decorat: quam vivida virtus,
Atq; animus constans, tenus ipsa volumina cœli
Celsius extollunt: quam laus & fama coronant:
Magnifici, clariq; viri: sub numine vestro
Augusto has tenues in vulgus prodere merces,
Atq; freto hæc libuit concredere nostra patenti.
Vos cœptis tantis, atq; his audacibus orsis
Adspirate, Patres. Dii magni magna tuentur:
Vos Magni parva hæc vultu placido atq; benigno
Accipite, & nigro, quaeso, defendite Momo.

Sunt

Sunt & in his vestræ laudes, sunt nomina: & istam
Gloria virtutem latum vehet alma per orbem.

Rostochio Kal. Februis 1605.

VV. MM.

studiosissimus

Ioannes Simonius Rhetorices in Academia Rostochiensi, P. P.



IN LVBECAM VRBEM EPIGRAMMATA.

IVLII CÆSARIS SCALIGERI.

VRbs instituta benè Lvbeca conventu
Populosa, dives, fortis, atque amans æqui.

Ejusdem.

Si referam, mihi quis credet, sub limina mundi
Vltima Legiferi jura vigere Dei?
Ingenium, candorem animi, cultumq;, fidemq;,
Fortiaq; invictâ pectora pura manu:

Dum

Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atque putat cœli regna, reſedit ibi.

CONRADI CELTIS.

Quæ longè reliquas ſuperat, quas vidimus urbes:
LVBECA eſt Codani fama decusq; ſinûs.
ANGVLVS hæc LAVDIS dicta eſt urbs nomine priſco:
Nulla quod ad Codanum ſit magè clara ſinum.
Angulum in hunc laudis fertur Travenna: patentem
Sicq; facit portum, multaq; vela videt.

IOANNIS BOCERI.

Mercibus omnigenis, & bellis apta gerendis:
Filia Mercurij, Pallade digna soror:
Vrbs jacet & geminis latè circumdatur undis:
Margine Vachnesis, glauca Travena tuo.

PETRI VINCENTII.

Vrbs quæ septenas nunc jactat ad ad æthera Turres,
Parva priùs, toto nunc magis orbe viget.
Aucta opibus, munita viris, ornata trophæis,
Vrbs templis locuples, relligione pia:

Con-

Consilio pollens, valida armis, incluta censu:
Palladis ante alias clarior una bonis.
Cedite Romanæ simul urbes, cedite Grajæ:
Cedite quas usquam vesper & ortus habent.
Hæc urbs Romani merito nunc terminat orbem
Imperij, Româ non minor ipsa sua.
Eminet hæc reliquis caput urbibus atq; corona:
Quas Henetæ socias gentis origo probat.
Nempe corona quod est, Henetos dixisse LVBECAM,
Bonno vel solo judice, fama refert.

Si libertatis vindex lex, relligioq̃;
Patrona civitatis,
Optima, siq̃; magistratus solet optimus esse
Defensor utriusq;:
Felix & meritò nimiumq̃; beata tot inter
LVBECA civitates:
Relligio cui se patronam spontè, simulq̃;
Lex vindicem dat æqua:
Quam virtute magistratus defendit utramq;,
Prudentiaq̃; magna.
Aurea libertas sic floret in urbe, salusque
Securitasq̃; præsens.
Dij servate, precor, sanctum cum plebe Senatum:
Quò gratior subindè
Liber-

Libertas legum, cum relligione deorum,
Exstet sub urbe sanctâ.

PETRI LINDENBERGII:

Gens humana, situs, commercia, littora, mores,
Mars, toga, divitiæ, curia, relligio:
Arctoas inter claras virtutibus urbes
Efficiunt, tollat lauta LVBECA caput.
Et decus Europæ, & lumen sit totius Ansæ,
Et sit Vandalici pulcra corona soli.

Ejusdem.

Lauta LVBECA situ, censu generosa frequenti,
Magna

Magna viris magnis, qui justa lance ministrant
Sacratas leges, præscriptaq; jura tuentur.
Incluta mercatu, bellis præclara puellis:
Quæ lepido affatu, lepidis narratibus, omne
Abripiunt punctum: ut videas studuisse decori,
Laudemq; unanimes vultus candore mereri,
Et Iovis, & charitum urbs dici incunabula posit:
Tantus amor recti, tantum hic valet aurea virtus.

N. R.

LVBECA, urbs Saxoniæ amplissima: Wagriæ caput; situ & mœnibus portuque ornatissima: mercaturis præterea & mercibus omnibusque rebus necessarijs instructissima; maximè verò bonis legibus ac moribus clarissima; & tam publicis, quàm privatis ædificijs splendidissima: ut verè sit, quod

quod dicitur, LAVDIS ANGVLVS: decus & corona urbium: limes Imperij Romani in Germaniâ: ut Roma olim in Italia: ex quo nomen hoc adepta videtur. Sunt tamen qui urbem hanc nescio à quo Luba piscatore, qui primus ibi tenues casas, ubi nunc civitas jacet, ædificare cœperit, nuncupatam autumant. Buccovetium in Annalibus Polonorum olim fuisse appellatam, memoriæ prodidit Iodocus Ludovicus Decius in libro de vetustatibus Polonorum. Fuisse ea olim perexiguum oppidum perhibetur, in eâ Wagriæ regionis parte, quæ Suartavia dicitur, situm, ad Dravæ & Suartæ confluentem; veterum Wagriæ dominorum gentis Henetæ sedes: à Gotscalco, Obetritarum Rege, primùm condita: & modò Byce, modò Magna Colonia, sive à palude Mæoticâ ejusdem nominis, sive à Magno Regis fundatoris filio cognominata. Fuit sanè ea regio, quòd & mari cincta, & portubus distincta, & insulis circumdata esset, valdè opportuna negociationibus exercendis. Posteâ verò perpetuis Rugiorum ac Vandalorum infestata excursionibus atque latrocinijs: aliquantò superiore parte fluminis in colle ab Adolpho Wagrorum Comite urbs extrui cœpta, inter Dravam & Waccenissam; quibus duobus amnibus ab utroque latere opportunè admodum alluitur. Pòst à Vandalis iterum direpta: ac demum vastata incendio; in cujus reædificandæ cogitatione constitutus Comes Adolphus; cedens tempori ac necessitati: Henrico Leoni, Saxoniæ & Bavariæ Duci, quòd infestis oculis eam, Barvvico urbe, ob urbis hujus incrementum, admodum decrescente, ferè intueretur, in potestatem clientelamq; tradidit: à quo libertate & immunitate donata, brevi tempore, tam incolis & civibus, quam opibus & copijs ædificijsque mirum in modum aucta & amplificata est: sede quoq; Episcopali Aldeburgo Lubecam translatâ: & collegio sacerdotum magnis ab

eodem

eodem censibus facultatibusq; locupletato. Proscripto dehinc Leone, & Saxoniâ Bavariâque universâ pulso, à Friderico Cæsare Barbarossâ primò possessa, & Imperij urbs facta; arcem Comitum Wagriæ ad Dravam, unà cum libero fluminis usu & immunitate vectigalium, redemit. Mortuo deinde Cæsare, quasi postliminio ad veterem dominum reversa: ac post mortem ejus aliquandiu Canuti regis Danorum subjugata imperio: demum prælio acerrimo cum eo commisso; Friderici II. Imp. auctoritate, & suâ cumprimis virtute ac potentiâ, integram libertatem adepta: in ditione deinceps Rom. Imperij permansit. Ac post alterum incendium; quo tota fermè urbs absumta est, majori & ordine, & splendore ædificiorum instaurata; fœdere cum Balthici littoris urbibus finitimis juncto; opibus & potentiâ adeò florere cœpit: ut emporium esset maris Balthici præcipuum: quò omnes merces, & inde rursus in omnes Europæ partes navibus deportarentur. Magna in hac urbe magistratûs est auctoritas, magna dignitas, magna amplitudo. Consules habet XII. eosq; Patricios vel equestri dignitate præditos: quorum perpetua est potestas: salvâ nihilominus libertate & salute reliquorum civium ac plebejorum: qui tamen, nisi vocentur, in magistratum non veniunt: neq; ullam vel in consulendo: vel in petendis honoribus habent libertatem: sed ut magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: à quibus non nisi ad summam Reipublicæ, hoc est, Romanum imperium datur provocatio. De situ urbis sic scribit Iohannes Bocerus: Lubeca urbs geminis fluvijs intercluſa; Vachnesi latissimo & profundissimo flumine, à Septentrione: & Travena, qui naves in æquor ducit, à meridie: fluvius non latus, sed vado profundissimo; ut mediocribus etiam navibus onustis sit paucis velis navigabilis, multum urbis indigenis vtilis.

lis. Exstat & apud Paulum Iovium ejusdem urbis tale elogium libro 41. Lubecum (inquit) portu nobile emporium, innumerabilibus mercatorum navigijs frequentatum in intimo sinu peninsulæ in Gothicum pelagus excurrentis: unde ad Gothorum & Suecorum regna per insulas urbibus refertas, vasto maris anfractu, Livoniæ Sarmatiæq; & postremò Moscoviæ quoq; littora classibus petuntur. Encomium Lubecæ urbis præclarum exstat carmine descriptum à Petro Vincentio: quod typo ejus adjunctum in omnium est manibus.



INDEX

INDEX ORATIONVM.

I. De persona & beneficijs Dn. nostri Iesu Christi. pag. 1.

II. De Luthero. 31.

III. De Bono Diligentiæ. 95.

IV. De jure Naturæ. 129.

V. De Bono Gubernationis. 155.

VI. De Oratoris Politici natura & caussis. 170.

VII. De Bono Academiæ. 185.

ORA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836/phys_0022
DFG

ORATIO PRIMA.

DE PERSONA ET BENEFICIIS DOMINI NOSTRI IESV Christi.

ILluxit orbi nostro iterum festum admirandum & glorioſum, in quo frequentiſſimo Piorum conventu, publica Christiani populi lætitia, maxima Religionis cærimonia ſolemnis ille celebratus eſt dies, quo filius DEI altiſſimi vniverſo generi humano applaudentibus cœlis Homo natus eſt. Debetur enim hoc illi generis noſtri cùm effectori, tùm reſtauratori præpotenti DEO, quem venerantes animo quaſi intuemur, vel propter beneficiorum, quæ naſcente Filio in nos maximo in diſcrimine conſtitutos contulit, magnitudinem tàm ineffabilem, vel propter Immanuelis noſtri, nobis in miſerrima captivitate preſſis, certam Nativitate ſua ſalutem ferentis, Bonitatem tàm inauditam, ut omnes terræ, omnes Populi, omnes linguæ, omnes ætates, geſtiant, exultent, exclament, & magni illius diei Beneficiorum multitudinem, quoad poſſint, voce cantuquè declarare conentur. Quæ me cauſa una impulit, ut & ego pauca de-

Pronũciata eſt publicè 28. Decem. 1599.

hoc materiæ genere ad vos verba hoc die facere cogitarem, & hujus doctrinæ dignitatem attingere affectarem. Etsi autem facilè intelligo, quàm exiguum illud sit, quod vel ab ingenio ornamenti, vel ab eloquentia præsidij afferam ad hanc causſam, quam nemo unquam cogitando nedum dicendo assequi mortalis potuit, quæ infinita sua claritate animos nostros, perinde ut Sol fulgore suo noctuarum oculos, obruit & obcæcat: Tamen & hoc scio, Deum velle ab omnibus hominibus initia tanti mysterij disci: de quo, præeunte timore & Invocatione DEI, ad normam verbi divini vel balbutientibus nobis nunquam DEVS immortalis vult deesse suo numine, is DEVS, qui & surdorum aures ante clausas ad vocem aperit, & qui infantium linguas loquentes facit & disertas. Hæc cum me consolentur, meamq; tenuitatem omni ex parte allevent, tùm non recreari me nihil sentio vestra, Auditores spectatiſsimi, pietate in DEVM singulari, voluntate in me eximia: ut quantum mihi ad meam tenuitatem fulciendam præsidij sit in eo Domino, cujus laudes hoc die grati deprædicamus, tantum profitear in vestro mihi studio calcar fuisse ad hanc causſam susscipiendam tractandamq;. Dicam itaq; de maximè in omni cœlo atq; terra admirando DEI opere, quod in unigeniti Filij sui, ex beatiſsima Trinitatis sede in hanc plenam miseriarum vallem, miſsione nobis spectandum consideradumq; proposuit: atque ita dicam, non ut rei majestatem verborum splendore exæquare

æquare, aut ut in has orationis angustias rem omnium augustissimam includere me posse putem: sed ut de tanto mysterio loqui potius quam dicere, vel profectò balbutire potius; quam loqui me posse intelligam. Quod tamen dum facio, certos mihi fines terminosq; constituam, extra quos progredi non possim, si maximè velim, NATALES ac genus, seu Personam Iesu Christi Immanuelis nostri primùm delineabo. Deinde nascentis ejusdem beneficia verbis perspicuis, & quantum potero, idoneis enarrabo. Quas tantas res dum ex Lege & Testimonio repeto, & hac voce mea, non secus atq; manibus tractare instituo, Filium DEI oro, ut ne me tanquam Osam evertat & percellat, sed tanquam Obededonem potius cœlestibus donis cumulatum ea dicere patiatur, quæ Divinitati ipsius sint probata, à Religione Christiana non aliena, nobis omnibus utilia & salubria futura. Quid est ergo? Filius DEI, principium ex principio, non ab ullo certo tempore factus, non creatus, sed ex æternitate, antequam mundi fundamenta jacerentur, ratione quadam hominibus incognita genitus est à solo patre. Idem Filius DEI unigenitus, Imago Patris, splendor & character gloriæ DEI, tempore, quod ab æterno Patre redemptioni generis nostri præstitutum erat, appropinquante, venit in hunc mundum, carnemq; Hominis ex castissima virgine assumsit, assumtamq; unione personali sibi copulavit. Constat itaq; PERSONA Iesu Christi duabus Naturis, DIVINA, quam habet

ab æterno à Patre coæterno, & HVMANA, quam ex Mariæ purificata per S. sanctum massa in unitatem personæ, in tempore accepit. Mysterium profectò ineffabile, & res inaudita, atque adeò ab omni cogitatione hominum longissimè remota! & tamen talis, quam ex ineffabili effabilem, ex inaudita decantatissimam, ex remota propinquam, ex latente patentem & apertam fecit DEVS, quantum ipsi quidem satis esse videbatur, & ad salutem nostram sufficere. Est enim hæc doctrina non humanis consilijs excogitata, sed à Deo ipso patefacta: estq; testimonijs Sacræ Scripturæ, quemadmodum arx quædam vallo atque aggere firmissimo, probè communita: ut dolendum vel potius detestandum sit, fuisse semper, qui, auctore & consuasore diabolo, hanc Beatitudinis arcem tàm munitam, hunc cœlestium divitiarum thesaurum tàm instructum, hoc Fidei fundamentum tàm munitum audacter impugnare, sceleratè exhaurire, nefariò evertere conati sint. Vt enim de DEITATE Iesu Christi primum dicam, non tantum Iudæi profligatæ suæ impietatis conscleratissima signa in eam intulerunt, sed ex ipso etiam Piorum cœtu, ex ipsa populi Christiani, ut sic dicam, terra enati sunt Gigantes, qui cum Christo Deo bellum gesserunt. Eorum tres præcipuè à Sathana instructas acies animadverto, Anypostasarum, Heterousiorum, Anomœorum: quorum originem paucis hoc loco attingam, ut cursus orationis nostræ sit facilior, & magis, quemadmodum ego arbitror, expeditus.

Principiò

Principiò ergo EBION, verè in agnitione Domini nostri Iesu Christi pauper, & insulsus ille, insulsorumq; Magister CERINThus Christum communi hominum forma sunt metiti: de quo mentiti sunt non minus blasphemè quàm ridiculè, quod MESSIAS in Iesum jam virum specie quidem columbæ se demisisset, inq; eo habitasset, sed quod sub id tempus, quo Christum mori oportebat, eum iterum destituerit & reliquerit. Quod mendacium impurissimum audiente & vidente Ioanne, præstantissimo, qui in cœna supra Christi pectus recubuerat, Apostolo, sine fronte evomuerunt. Similem Christo Deo plagam inflixit SAMOSATenus, homo ineptissimi quidem, sed in Filium DEI contumeliosissimi fastus. Hic cum eum, quem errore quodam opinionis sibi ipse finxerat, in Ecclesia Iesu Christi dignitatis principatum assequi se nullo modo posse existimaret, si quotidianæ illius, quam Orthodoxi ex verbo Dei profitebantur, doctrinæ veræ præco esset, cepit sibi novo dogmate applaudere, &, publicè erroris condemnatis antiquis Doctoribus, commentus est, Iesum cætera omnia esse communem hominem, habuisse autem à patre inspiratum verbum, quo excitatus adjutusq; ille homo Iesus, quæ ab ipso perpetrata legimus miracula edidisset: quod tamen verbum ipsi non aliter adfuisset, atque DEVS sanctis adest. Eandem cramben recoxit PHOTINVS; donec patrũ memoria SERVETus quidam Hispanus, non tantum Samosatenianam blasphemiam ab Orco reduxit, sed & teterri-

mis illis furoribus hanc de suo addidit contumeliam, facilimè fieri posse, ut turpissimus & perniciosissimus Mahometi Alcoranus, cum saluberrima Euangelij doctrina coiret, si modò reconditum nimisq; abstrusum illud de Deo Trinuno dogma ex omni religione catholica relegaretur. Quod quia non curarent, ij, qui id maximè debebant, hanc esse causſam, cur non tantum infinita propemodum, quæ ex Alcorani & Euangelij reconciliatione efflorescere possent, commoda impedirentur, sed quamobrem sibi Christiani tristissimas regnorum vastitates, perinde ut Cæcias nubes, attraherent; os illud caninum elatrabat. Atq; hic est primos ordo. Alter est eorum, quos ἑτεροδόξους vocant: quos inter Arius familiam ducit. Hic Arius cum initiò Aetij dogma defendisset, atq; ob id ex numero piorum & finibus Ecclesiæ Catholicæ expulsus atq; dejectus esset ab Alexandrino Episcopo Petro: succedentibus deinde temporibus ab Achille, Petri in Alexandrinam successore, in gratiam receptus est: qui Petrus Arium Rectorem Theologicæ Scholæ præfecit, eidemq; potestatem concessit publicè etiam sacram scripturam interpretandi. Tam benigna honorum aura animum Arij, per se tumidum, vehementius etiam inflavit. Etenim eò dementiæ provectus est Arius, ut Achille mortuo Episcopam Alexandrinam ambire nequaquam dubitaret. Sed repulsam passus, ut præferri sibi vidit Alexandrum, hominem, uti ipse opinabatur, neque ingenio, neque eloquentia, neque disputandi facultate ne mi-

ve minima quidem in parte sibi conferendum, exarsit, ulciscendæq; hujus tantæ & tam atrocis injuriæ cupiditate, omne suum studium à salute hominum in perniciem, à gloria Filij DEI in contumeliam convertit. Qua ex re intelligi facilè potest, nihil esse tàm sanctum atque divinum, quod non ambitio & propriæ sapientiæ persuasio comminuere atque violare audeat. Cum autem videret Arius, Samosateno crassum illud delirium non satis benè succesisse, alia ratione subtiliori, quasi per cuniculos rem aggrediendam statuit. Largitus est ergo, Verbum ante incarnationem, & quidem ante creationem Mundi, seu, ut ipse loquebatur, πρὸ χρόνων καὶ αἰώνων ante secula & tempora fuisse Personam, Angelica vel humana natura longè præstantiorem: sed hanc Personam Deum esse verum, de essentia Patris genitum, Patri consubstantialē, id verò reipsa negabat. In qua impietate sua pallianda singulari genere fraudis, & nova insidiarum ratione usus est Arius, qua non Orthodoxos solum, quorum dicendi genus astutè imitabatur, aliquandiu fefellit, sed Constantinum quoque Opt. Imperatorem decepit, & aulicis Sycophantarum artibus eò usque impulit, ut causam denuò cognosci juberet, idque in templo Sophiæ Constantinopolitano. quo cum solemniter & aulica cum pompa deduceretur Arius, accidit, ut de via deflectens, effusis in latrinam intestinis, fœdam mortem fœda mente & fœda lingua dignam, Iudaquè exitio similem obiret. Restant Anomæani,

ab Eunomio Episcopo Cyzico, Aëtij cujusdam discipulo descendentes. Is Aëtius aurifaber primum fuit, deinde Theologus factus est, insignis ille quidem, veruntamen non ita institutus, ut religionis Christianæ capita, & boni Episcopi officia nosse posset. neque verò ei deerat ingenium. nam & publicum ΑΘΕΟΥ nomen sub Constantino magno meritus fuerat, & poterat in iis facundus esse Aëtius, quæ ipse non intelligebat. Huic Aëtio cum se corrumpendum tradisset Eunomius, discipulos ipse postea progenuit, & sibi & Præceptori, planè ut ovum ovo & lac lacti, similes, qui Aëtiani & Eunomiani, &, alia quoq; ratione, Anomœani dicti sunt. Hi acerrimi fuerunt, ut Arianos ludum jocumq; præillis dixeris. Nam cum cæteri Ariani largirentur, Filium Dei Patri esse, non quidem coæqualem, sed similem, & Synodi Syrmiensis decreta probarent; quæ pro voce ὁμοούσιος vocem ὅμοιος subsituerat: contenderunt AETIANI, Filiũ Patri, tanquam Creaturam creatori, per omnia esse dissimilem: atq; hoc modo Christum, omni divinitate exutum, beato glorioſæ Deitatis solio præcipitem, non clàm sed palam, non lentè sed uno ictu exturbarunt. Recensui eos, qui in arcem Deitatis Iesu Christi impetum fecerunt: qui tamen eandem expugnare non potuerunt, quantumuis immania desæverint. Est enim hæc salutis arx præsidiis sacræ scripturæ ita communita, ut adversus illam ne portæ quidem inferorum aliquid possint. Hæc sacra scriptura testimonia habet,

bet, quæ comprobant & evincunt: Christum etiam ante incarnationem esse Filium DEI, secundam Divinitatis personam, per se subsistentem, aliam & distinctam à Patre: eundemq; Christum, licet homo sit, tamen non hominem tantum, sed etiam DEVM esse, & quidem Deum non verbo, sed verè & reipsa. Ergo qua fronte Samosatenus Filium DEI ante carnis nostræ assumtionem in nihilum redactum cupit? aut quo ore eundem Arius cum Aëtianis ex plenissimo Deitatis patrimonio, tanquam è naufragio nudum, expellunt? quem non hostiliter persequi, sed amore prosequi, non oppugnare, sed metuere debebant. At inquit Samosatenus: Christum, quia Verbum est; & verbum est aliquid evanescens; naturam per se subsistentem, antequam homo esset, profiteri erubesco. Nimis virginalis est illa tua, Samosatene, verecundia. Neq; enim, quod tu vereris, Verbum significat decretum aut propositum patris, nedum vocem evanescentem: sed Verbum est Filius Dei, natura per se subsistens, hypostasi distincta à Patre. Erat, inquit Ioannes, in principio Verbum, & Verbum erat apud Deum. Audis λόγον fuisse jam tum in exordio etiam omnium rerum, & quidem fuisse apud Deum. Quanta ergo impietas est, hypostasin ejus qui est, ejusdemque non essentia sed hypostasi distinctam ab illo, apud quem est, naturam negare? Certè aut affirmandū est, alium esse Eum, qui est, & alium esse Eum, apud quem est ille, qui est: aut rerum natura turbanda erit. Cumq;

per hunc ipsum Λόγον universum hoc theatrum naturæ rerum sit creatum, & sine eo factum sit nihil quod factum est: id autem per humanam quidem naturam factum affirmare, blasphemum sit; per rem verò quandam evanescentem conditum asserere, res sit extra modum absona & absurda: profectò necesse erit, Λόγον esse Personam per se revera subsistentem, è cujus manibus pulcerrimum hoc Mundi opificium exierit. Neq; verò Λόγος creavit tantum Mundum, sed idem rebus à se creatis cum cæteris, tùm Ecclesiæ suæ imprimis adest, eamq; sua sapientia multis modis incomparabili gubernat atq; administrat. Quis autem est ille, qui Ecclesiæ suæ omnibus temporibus adfuit? Credo, quod homo aliquis fuerit ex eorum genere, qui αὐτοχθονας se indigetarunt? aut ex umbris aliqua, quas Mercurius in orcum deducere, & inde reducere fingitur? Tàm impiè opinari aliquem posse, non facilè crediderim. Quis est ergo ille? Est IEHOvah, hoc est, essentia Spiritualis, quæ à se & per se ab æterno in æternum verè subsistit, & quæ cæteris rebus creatis suum esse communicat. Neget sanè Cicero id accidere posse, ut Deus aliquis delapsus cœlo, cœtus hominum obeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur: Potior est nobis & certior Scripturæ vox, affirmantis, Deum semper affuisse generi humano, & cum eo familiariter esse versatum. Iehovah protoplastum nostrum Adamum, in acie novaculæ constitutum, & terroribus mortis, tanquam fulmine quodam, perculsum, promissione de

semine

semine mulieris, caput serpentis contriturò, in spem vitæ certissimam erexit. Iehovah Abrahæ conviva fuit. Iehovah Iacobum Patriarcham ex omnibus periculis, quibus cum ille conflictabatur, eripuit. Iehovah Angelus noctu inter castra Israëlitica & Ægyptiaca excubias egit. Iehovah, Mose ministro, siare fecit aquas, sicut montes, & populum Israëliticum per mare rubrum comitatus est, & insequentes hostes in profundo quasi plumbum demersit. Prius me deficeret vox, quàm Iehovah inde usq; ab initio rerum generi humano semper præsentis argumenta. Illud igitur fixum est ratumq;: Λόγον non esse de genere illo, de quo sunt verba puellarum; sed esse Personam divinitatis, per se subsistentem, aliam & distinctam à Patre: quam vel ob hanc ipsam causam Λόγον vocamus, tum quod semper locutus sit Ecclesiæ suæ: tum quod sit imago Genitoris, totum in se Genitorem ostendens & propriè existens. Nec verò audiendi sunt, qui hunc Λόγον Deum esse concedunt quidem, sed Deum verbo, non reipsa Deum esse impiè rhetoricantur. Reclamat ejusmodi prodigio æternus Pater, reclamat æternus Filius, reclamat æternus Spiritus Sanctus. Deum verum esse hunc Λόγον, Pater è cœlo sublata voce intonat: Filius factis probat: Spiritus Sanctus scriptis contestatur. Egredere mecum, quisquis es, qui hæc negas, egredere, & quidem animo mecum atq; cogitatione expatiare ad fluenta Iordanis, atq; quid illic apertæ cœli valuæ, ruensq; ex his vox sibi velit, attentius mecum expende: Filius

de: Filius hic est meus, in quo acquiesco, Hunc audite. Quid obturas, Impie, aures, ad hanc Majestatis plenam vocem? quid stas blasphemo? Iste, quem in Iordane aqua perfundi vides, carne humana indutum, Filius est Meus, inquit vox cœlestis. At cujus Mei? num Ahasueri, centum & triginta regnorum Domini? num Pompeij, supplosione etiam pedum totam Italiam commoventis? num Totilæ, totum orbem terrarum terrore nominis sui complentis? Minimè gentium. Ahasuerus enim & Pompejus & Totilas, & id genus infiniti alij, homines fuerunt, quibus hic Mundi punctus materia gloriæ fuit & sedes, ubi honores gesserunt, ubi exercuerunt imperia, ubi tumultuati sunt, & cædibus laxiorem fecerunt terram. Sed iste Christus Filius est ejus, cujus è cœlo vox in Iordane auditur. Opinor ergo esse aliquem ex Deastrorum numero illorũ, quos antiquissimus Poëtarum Homerus fingit latum cœlum inhabitare, & inter se altercari, eaq; agere, à quorum non solum commemoratione aures, sed à cogitatione quoq; animus abhorret. Egregios verò Deos, & tales cœli habitatores, quales nemo nostrum honestus, ne servulum quidem aut ancillulam domi suæ sciens pateretur! Quis est ergo ille Meus cœli Dominus? Is est, qui creatione Mundi, Angelorum & Hominum; qui eductione Populi Israël ex Ægypto; qui Legis in monte Sinai promulgatione se generi humano jampridem patefecerat: qui ab æterno Est Fuit & Erit, cujus nomen est ineffabile, Ero qui Ero, seu Iehovah.

Hic est

Hic est ille Iehovah, quem ad Iordanem è cœlo clamantem audis: Hic est Filius meus. Quod si Iehovah ille filiũ habet, quemadmodum habere se testatur ipse: quod testimonium certè est gravissimum: necesse est, ut sit pater. Quod si Pater est, erit ab æterno Pater: & ab æterno genuerit Filium, necesse est: siquidem temporis initia, progressus & incrementa, non cadunt in æternitatem, quæ desinit esse æternitas, si temporum intervallis eam metiaris. Si autem ab æterno Filium genuit, necesse est, ut eum Naturæ suæ, quæ est Deitas ipsa, participem ab æterno fecerit. fieri enim non potest, ut quis sit hujus Patris filius, nisi quis sit ex ejusdem patris natura prognatus. Ex quo efficitur, quod Iesus ille Christus, qui stat in Iordane, quem Iehovah pronunciat & testatur esse Filium suum, sit ab omni æternitate Iehovah filius, sitq; genitus ab æterno, divinitatisq; patris, antequam mundi fundamenta jacerentur, particeps factus. Quomodo autem Iehovah pater Iehovahm filium genuerit, id verò omnium non solum hominum, sed Angelorum quoque intelligentiam & acumen superat. Scriptura tamen sacra testatur, genitum esse ab æterno Patre Filium, non quemadmodum credentes secundum misericordiam ex aqua & Spiritu, voluntariè ex Deo gignuntur: sed ita genitum esse, ut ille ipse Iesus sit unigenitus DEI patris filius, character claritatis, effigies substantiæ Patris, imago & primogenitus invisibilis Dei, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine. Quare, si quæris ex me, cur

& ego

& ego Iesum Christum Filium Dei credam, cur eum secundam æternæ & omnipotentis Trinitatis personam fatear, genitam ab æterno ex essentia Patris, æterno patri & S. S. ὁμόπμον, ζωαῖδιον ὁμοούσιον; dicam, exponam rationes: Æternus pater ut id faciam, me movet. Is enim gravissimo judicio Iesu Christum honore Filij amplissimo, ac in omni cœlo atq; terra maximo dignatus est, & ut eum audiam jussit. Sed quis est, inquis, æternus ille Pater, quæ est tanta auctoritas ejus? Est inquam, Iehovah, qui est primus & novissimus, & præter quem non est Deus: qui dixit & facta sunt, jussit, & creata sunt: cui cœlum sedes est, & terra scabellum pedum ejus: qui terram fundavit: qui valvis mare occlusit: qui educit signa remotiora, quodq; suo tempore: qui disponit cœli dominatum in terra: qui præcordiis dat sapientiam, & menti intelligentiam: qui corpus & animam occidere potest, & utrumq; in gehennæ ignem inextinguibilem abijcere. Magnum certè auctoritatis argumentum! magnum timoris & persuasionis sacramentum! An verò parvi censes faciendos sermones ejus, qui est Iehovah, cœli, terræ, maris, Angelorum Hominum & Diabolorum Dominus? an illi non credam, cui ut credam, cœlum, terra, pontus me impellunt? An ab ejus voce perfidè discedendum erit nobis hominibus, cujus mandato immanes bestiæ & ipsi fluctus maris respondent? Quid autem est, quod mandat ille Iehovah? hunc, inquit Iesum Christum, natum ex Virgine Maria, stantem in Iordane,

dane, quem testor esse Filium meum illum dilectum, in quo acquiesco, Hunc Audite. En imperium imperantis, & toti Mundo dominantis Iehovah. Recipi vult non excludi, audiri non contemni, diligi non neglgi Iesum Christum filium suum. Audiam ergò, quid Filius Dei Dn. noster Iesus Christus vult, quid dicat! An non autem vocem Patris Filius comprobavit? imò verò comprobavit, neque verbis tantum, sed factis etiam comprobavit. Videmus quidem ita fieri, ut titulis inanibus vulgus non tàm gaudeat, quàm superbiat. Sunt ibi, qui audiant justissimi, prudentissimi, fortissimi, temperantissimi: cum illis mihil sit, quod vel majori injuria hominum societatem afficiat; vel minus quod in re quaque verum sit, perspiciat; vel abiectiorem in rebus humanis despiciendis animum gerat; vel denique petulantia atque libidine majori utdat. Non ea est Domini nostri Iesu Christi ratio: non ille fumos nobis vendidit, non lusit nos splendore titulorum inanium, non voluit videri Filius Dei, neque tamen esse: sed quem se professus est verbis, eundem reipsa cumulatè probavit. Itaque Iudæis incredibilem de Messia sollicitudinem præ se ferentibus ipse Christus respondet: Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, testantur de me. Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Sin verò facio, etiamsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, Patrem in me esse, & me in eo. Hæc Christus Iudæis respondet. Sunt autem opera, quæ non nisi à divina

nia & Omnipotente natura præstari possunt illa: Universum Sathanæ regnum delere: justitiam æternam donare: exaudire, gubernare, defendere invocantes: allisos erigere, cæcos illuminare, depellere omnes morbos, salutem omnibus conferre, mortuos resuscitare: quæ nisi Christus omnia & singula præstitit, nullo modo ei fidem habeamus. At quis peccati fœditatem abluit, quis mortem morte absorpsit? Iesus Christus. Quis vitam nobis restituit æternam, & pacem conscientiæ largitus est? Iesus Christus. Quis clamantes exaudit, palantes colligit, errantes in viam reducit, quis afflictos consolatur? Iesus Christus. Christus cæcis visum reddidit, surdis auditum, mutis sermonem, leprosis salutem. Christus Austro & mari imperavit. Christus fœtentem jam Lazarum in vitam revocavit. Idem Christus Ecclesiam in hoc tempore sedentem in specu Leonum & ludentem cum Draconibus defendit. & idem Christus in regeneratione mundi omnes, quotquot mors absorpserat, resuscitabit, & sua quemque carne & pelle iterum circundabit. O Iesu Christe unigenite Fili Dei, quam immensa est factorum tuorum, quibus te ponteter Filium Dei probasti, magnitudo! Te oro, doce nos per Spiritum S. tuum, ut te rectè agnoscamus, & istam Deitatem constanter credamus. Vt autem æternus Pater de Deitate Iesu Christi testatus est; ut Christus Deum factis se probavit: ita eidem Iesu omnes Prophetæ & Apostoli, Spiritu S. inspirati, testimonium Deitatis, admirando quodam

dam consensu, perhibent. Quid enim? an gloriosum creationis omnium rerum opus in ullum hominem Angelumvè cadere potest? Minimè verò. Iehovah, inquit Regius vates, est terra, & plenitudo ejus orbis terrarum: quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum. At Paullus, Iehovah in tertio cœlo discipulus, de Domino nostro Iesu Christo id interpretatur, protestaturq́, hunc Iesum esse illum Dominum gloriæ, cui David arbitrium totius universi committit, & cœli terræq́ creationem asscribit. Huic eidem Iesu Christo sanctissimus senex Iacobus, divinissimus Rex David, gravissimi rerum Iesu Christi testes Apostoli, constantissimus protomartyr, idemq́ in agone mortis constitutus Stephanus, invocationis honorem, solius divinæ Majestatis & solum & proprium deferunt. Idem Dominus noster Iesus Christus Iehovah est Iustitia nostra Ierem. 23. & 1. Cor. 1. Idem est Iehovah sedens super solium excelsum, Esa. 6. & Iohan. 13. cujus nomen filiatum est ante solem, Psal. 72. & Ioh. 1. Idem Deus est, cujus egressus ante dies mundi, Mich. 5. & Tit. 1. Idem Dominus, primus & novissimus, Es. 41. & Apoc. 1. ut sexcenta hujusmodi alia scripturæ loca præteream, ex quibus Deitas Christi certa quadam, eaq́ dulcissima V. & N. T. harmonia probari posset. Facessant ergò qui Christum in tempore cepisse, non ante tempora fuisse: creaturam, non creatorem: hominem non Deum: Deum verbo, non revera fingunt. Facessant omnes, & tàm invictis testi-

bus convicti Christo dent manus. Quod si tàm effrenata in aliquem cadere posit impietas, ut tantis divinitatis Iesu Christi auctoribus fidem habere nec posit nec velit, non tamen veritas Dei incredulitati & mendacijs ipsius succumbet, neq; fides nostra cujusquam furoribus frangetur. Hæc enim est nostra contra portas etiam inferorum gloria, hic triumphus, quod Deo adjuti, Iehovah Patri de filio suo clamanti; Christo Filio Deum factis se probanti; deniq; S. S. in monumentis sacrarum literarum, oracula de Deitate Domini nostri Iesu Christi certissima proferenti, firmiter & absq; hæsitatione credimus. Quæ fides neutiquam nos fallet. credimus enim Deo de ijs mysterijs, quæ nondum videmus: quæ si oculis corporeis videre liceret, quid esset nostrum fidere? & credimus Iehovah, qui de seipso auctor est: cui, nisi perpetuis dubitationum Ethnicarum fluctibus agitari, & in periculum capitis sempiternum incidere velimus, reniti non licet. Dixi de Divina Domini nostri Iesu Christi natura. Nunc de humanitate ejusdem. Eum enim qui cœlo terram, hominem Deo reconciliaret, quem Mediatorem vocamus, nec solum Deum, nec solum hominem, sed Deum juxta atq; Hominem gravissimis de causis, quæ alibi explicantur, esse oportebat. Quare Filius Dei stante adhuc Politia Mosaica, & durante publico apud Iudæos docendi munere, in ipso articulo temporis, quod tàm admirando operi divinitus erat præstitutum, ex Maria laudatissima virgine & sponsa, ejusq; per S.S. purificata

sanguinis

sanguinis massa, præter naturæ ordinem, non quidem transitorio generationis intellectu, sed vera naturæ nati ad genetricem communione, neq; abolendi sed conservandi hominis gratia, assumsit, non speciem hominis aut spectrum, sed verum hominem; eumq; non corpore tantum; sed corpore vero, & anima rationali simul constantem, h. e. naturam humanam Mariæ & nobis, excepto peccato, consubstantialem. Atq; ut hoc credamus, tùm ipsius rei veritas, tùm salutis nostræ necessitas nos cogunt. Etenim, qui semen est mulieris, qui natus est ex semine David secundum carnem, qui factus est ex muliere; is carnem secum de cœlo attulisse dicetur? quem discipuli oculis suis coràm aspexerunt, quem Apostoli suis manibus contrectaverunt, is spectrà quædam species erit? Qui verè contristatus fuit spiritu, qui verè sanguinem suum effudit, qui verè animam exhalavit, eum veram humanam carnem suscepisse negabimus, eum ἄψυχον fuisse nugabimur? Sed & necessitas quædam nostra erat, totum hominem à Filio Dei assumi. Nam quod non assumtum est, id ne servatur quidem: servatur autem id, quod unitum est Deo. Quare non spectrum, aut corpus, quod vel gutta Deitatis, vel ex quatuor elementis compositum esset, aut aliud quid; sed verum corpus nostrum, neq; corpus tantum, sed animam quoq; humanam assumere Christum oportebat, ut corpus & animam suo sanguine conspersa à peccatis purgaret, & ut totum hominem in persona λόγου ad majestatem divinam secum evehens,

bens, efficeret illud, ut verè gloriari possemus, quemadmodum hac quoq; gloria atq; hac prædicatione nos efferimus, quod caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris ad dexteram æterni Patris consideat: & quod frater noster Angelis & hominibus, polo, solo, salo, ipsisq; Diabolis & hostibus nostris imperet. Non est autem existimandum, vel alterum ex duabus naturis, in alteram coaluisse substantiam, vel totius hominis assumtione quartam ad Trinitatis mysterium accessisse personam: sed duæ Naturæ, Divina seu assumens, & humana, certo tempore assumta, in unam indivisibili & inseparabili unione Personam filij Dei convenerunt, ita ut Deus & Homo unus sit Christus, unus Immanuel, perinde ut anima & corpus unus est Homo. O commercium Infiniti & Finiti, Immortalitatis & mortalitatis, creatoris & creaturæ, Dei & hominis admirandum, ipsis etiam sacris spiritibus imperscrutabile! Quis unquam audivit talia? ad cujus aures fama similis rei unquam pervenit? Mirentur sanè Atheniensis Codrum suum, qui ut saluti patriæ consuleret, depositis insignibus imperij, familiarem cultum induisse, ac sarmentarij habitu palantium hostium globo sese obiecisse dicitur. Mirentur, inquam. neq; ego negaverim admiratione dignũ Codrum. Sed tamẽ quis erat ille Codrus, ex regio honoris splendore ad miserã servilis conditionis fortunam se demittentis? Homo erat, seu, ut ex gente illa vates quidam dixit, σκίας ὄναρ. aut quis erat ille cultus, quem induebat Codrus? nonne

nonnè sarmẽtarij? qui id à Rege distabat, quod calculus volũteat Arithmetici in supremo ordine collocatus, differt ab alio ejusdem generis calculo, qui pro nutu ejusdem Arithmetici lineam ultimam occupat? At hîc (liceat mihi, auditores, divina cum humanis, æterna cum caducis conferre) non homo, sed Iehovah omnipotens: non aliquis unius civitatis Regulus, sed cœli & terræ, Angelorum & hominum Dominus: non sibi affinem naturam neq; Angelicam, sed hominem, pulverem & cinerem, induit atq; assumsit: cumq; assumsit sine naturarum vel confusione, vel exæquatione, vel permutatione, vel distractione, & quidem ita assumsit, ut nulla locorum intercapedo has duas naturas divellere posit: denique assumsit ita, ut in Christo omnis plenitudo divinitatis habitet corporaliter. Dixi de Persona Iesu Christi, non quantum debui, sed quãtum potui. Restat quod secundo loco erat propositum, ut de Beneficiis ipsius dicam: & quidem utar brevitate. Vos tantum qua me cepistis benevolentia perorantem audite. Etsi meritorum erga genus humanum Iesu Christi tanta est multitudo, ut ne quidem iisdem quibus cœlum & terra contineri possint terminis: omnia tamen uno quasi ambitu concludit præco cœlestis Angelus: Natus est, inquit, vobis Salvator. Quod est ergo beneficiorum Iesu Christi caput? quæ summa? Salus. at quæ salus? Eramus hîc in periculo aut servitute quadam homines constituti, num carcere & vinculis detinebamur, ut ferri opem & salutem certã

necesse esset? Imò detinebamur, verum non Ægyptiaca, sed Diaboli servitute: non Babylonicis, sed mortis vinculis. peccatum enim Adami, quod totum orbem terrarum, quasi diluvinum quoddam, inundaverat, invexerat in mundum iram Dei, &, tanquam Pandora, mortem Diabolum infernum in genus humanum effuderat, atq; adeò omnes Homines, reges, bajulos, eorum servituti atq; Tyrannidi mancipaverat. Tantis hostibus qui nos eriperet, tantis periculis qui nos liberaret, qui salutem conferret, nemo erat. Inventus est solus filius Dei, qui debellandi tantam vim & reparãdi atq; restituendi generis humani certum onus in se reciperet. Vtq; tantum opus perficere posset, in eam viam ingressus est, in quam maximè Mediatorẽ ingredi oportebat. Factus enim homo venit in hunc mundum mundi Dominus, non cum pompa ostentationeq; quadam Attalica, sed ita, ut locus, qui hunc Dominum Dominantium in has terras hominem nascentem exciperet, esset non aula, sed caula: lectus, in quo infans Iehovah jaceret, non cunæ, sed stabulum: focus, quo puerpera virgo cum infante in tanta hyemis sævitia uteretur, non luculentus caminus, sed asini atq; bovis anima. Ex qua re facilè conjici poterit, quæ humana hujus partus ministeria cætera fuerint, qui lectus puerperæ virginis, quæ cortinæ geniales, quis cibi apparatus, quæ corporis curatio, quis humo, mensis & de parietib. suspensus ac circumtentus ornatus. Qualia autem vitæ hujus infantis exordia fuerunt, tales fuerunt etiam

etiam progressus. Nihil in tota vita fastuosum, omnia ad aspectum vilia. Qua in tenuitate gravissimum fuit, quod, cum vulpes habeant foveas suas, & volucres cœli nidos: ipse filius Dei non habuit, ubi caput reclinaret. Cum esset annorum quasi triginta, & cum Baptismo tanquam solemni quadam renunciatione initiatus esset ministerio docendi & prædicandi Evangelij, statim ductus est à Spiritu in desertum, ut tentaretur. Inde reversus, plenis velis in ministerium suum ingressus, primum in Iudæa docuit, deinde alias etiam terras obijt, ubiq; prædicans Evangelium regni, & sanans quemvis morbum & quemvis languorẽ in populo. Atq; sic benè omnia faciendo, & pauperes Evangelium docendo totos tres annos consumsit: donec quarto ministerij anno, cum instaret tempus manifestandi regni Dei, à Discipulo proditus, à pontificibus captus, & indignis modis cùm apud eos tùm in Prætorio crudelissimè tractatus, tandem, non convictus, cruci est affixus. Operosam profectò atq; arumnosam vitam, & tristem exitum planeq; lamentabilem! Quid autem caussæ fuit, cur Filius Dei in tantum & Paupertatis, & contumeliarum, & mortis ipsius barathrum se demergeret? Non spes alicujus præmij, non cupido regni, non fama nominis vana, sed hominum salus. O immensam Pietatem! ô admirandam charitatem! Sathan hominem à virtute in vitium, à salute in morbum, ex luce in tenebras, ex gloria filiorum Dei ad turpitudinẽ mancipiorũ inferni præcipitaverat & demer-

ſerat: Vt hominem à lapſu ad innocentiam, ex morbo ad ſalutem, ex tenebris in lucem, ex morte in vitam Deus reſtitueret, DEVS HOMO NATVS eſt. O incredibilem & admirandam benignitatem! Dei filius naſcitur hominis filius, ut nos hominum filios, Dei filios efficiat: Idem ut genus humanum, à fero hoſte Dæmone immani ſervitute vexatum, in libertatem vindicet, ſervi formam aſſumit: naſcitur pauper, ut nos divitijs, ijsq; immortalibus, perpetuum augeat: naſcitur in caula, ut nos divino ſuo beneficio aulæ cœleſtis cives indigetet: perpetitur tantillus infantulus tantam hyemis ſævitiam, ut nos in aprica vitæ æternæ conſtituat. O pietatem! ô charitatem! Deus eſurit, ut nos paſcat; ſitit, ut nos potu cœleſti recreet; vincitur, ut nos à Diabolorum vinculis liberet; flagellatur, ut ſuperba & nunquam deſitura Inferorum flagra à cervicibus noſtris averruncet; cruciatur dolore, ut nos lætitia geſtiamus; figitur cruci, ut culpam effugiamus; moritur, ut vivamus. Nobis æterna gratiæ Dei fames debebatur; factus eſt ille cibus: nobis in rerum divinarum ignoratione & tenebris perpetuis verſari conveniebat; factus eſt via & lux: nobis vulnera, nobis febres, nobis ſupplicium, nobis mors æterna debebatur; factus eſt medicus, fons, lytron, vita. O immenſam Dei pietatem! ô admirandam filij Dei charitatem! ô nos beatos, quorum cauſa Deus homo natus eſt! ô nos felices, quos Dei Hominis nativitas à crimine originali, vita ab errore, à lapſu gratia, ab interitu mors vendicat

dicat! Quis hic non lætetur, quis gaudio non exultet, voluptate non gestiat? Nobis puer natus est: Nobis filius datus est: Nobis natus est Salvator. Pro nobis Immanuel λύτρον soluit: pro nobis in dextera Dei considens Immanuel intercedit: In nobis Immanuel habitat: Apud nos Immanuel præstò est in omnibus ærumnis atq; ipsa Morte. Hoc equidem beneficium tantum est, ut ne cœli quidem hoc tempore continere potuerint Angelos, quin illi ad homines descenderent, & in hymnum tam infinitam Dei bonitatem deprædicantem, erumperent. Quantò ergo magis decebit nos, ut quoties hæc cogitamus; cogitare autem quotidie debemus; Deo pro tantis beneficiis gratias agamus, & prælucente vera fide canamus in omni vita cum Angelis: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus lætitia. Docui primò Christum esse Filium Dei, personam ante incarnationem etiam per se subsistentem, ex substantia patris genitam, Deum verum de Deo vero: eundemq; esse verum hominem, nobis, excepto peccato, consubstantialem; Deum & hominem in una persona filij. Deinde quibus nos DEVS Homo & quantis beneficiis nativitate sua affecerit, paucis ostendi. Tibi, FILI Dei, quem Reipub. Christianæ Principem & custodem verè nominamus, gratias agimus maximas, quod ad opē nobis nostroq; generi in maximis calamitatibus constituto ferendam, de cœlo descendens in massam & carnem nostram, majestate tanta nihil obstante, te indueris. Tu ad discutiendam

Adami, protoplasti superbiam, & restinguendam Dei iram infra omnes homines te abjecisti. Tu per legatos tuos Apostolos horumq; discipulos, omnes totius orbis terrarum populos ad remedium peccatorum in nomine tuo accipiendum invitasti. Tu in dextera Dei patris considens, viros eximia doctrina & sacrarum literarū scientia præstantes tuæ Ecclesiæ Doctores semper largitus es, & Reipub. Christianæ partes afflictas propeq; desperatas remediis salutaribus recreas & confirmas. Perge, bone pastor, Iesu Christe, perge alere, tueri, sanare gregem tuum: & in hac doctrina de persona & beneficiis tuis inter nos cōservanda noli nostra impietate defatigari. Vides, bone Iesu, quanto maximo furore Sathan hanc lucem conetur apud nos obscurare, quam sæviat in hanc doctrinā, vides: in qua omnes cœlestium divitiarum thesauros nobis repositos novit; sine qua, perinde ut Mundus sine anima flaccescit & moritur, spem quoq; nostram perspicit concidere, extingui fidem, moriri salutem. Tu itaq;, Clementissime Deus, respice ad nos, miserere nostri. Fac ut per te floreat hæc doctrina: floreāt Scholæ & Ecclesiæ hanc doctrinā profitentes: floreant Principes nostri celsissimi: floreat hæc Academia, ejusq; concilium & Cives: floreat hujus Acad. hospitium hæc urbs: floreat totus orbis Christianus. Rege denicq; nos omnes, ut cum hic plurima tibi probata, nobis salutaria, generi humano utilia & necessaria quisq; suo loco, tua ope, adjuti, tuo S. collustrati cogitaverimus, dixerimus, fecerimus;

tum

tum in illa vita, quæ verè est vita, in qua est summa & certa securitas & secura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, & jucunda felicitas, & felix æternitas, & æterna beatitudo: in illa, inquam, vita istud admirandum Dei hominis commercium, quod nunc reverenter credimus, coram intueamur, te sine satietate amemus, tuam effusissimam in nos benignitatem sine fine celebremus, & Te & Patre & Spiritu Sancto, VNO DEO, in omnia secula perfruamur.

Studiosis doctrinæ

CHRISTIANAE,

DIVINITVS LVTHERI MINISTERIO INstauratæ.

S. D.

QVinquaginta anni crastina die 18. Februarij complebuntur, cum MARTINVS LVTHERVS, patrum ætate, toto orbe Christiano densissimis tenebris, abusibus, & Idolis Pontificiis, obruto, ad restituendam lucem Evangelij, & refutandos Antichristi errores, à Deo excitatus, peracto feliciter ministerij sui cursu, ex his terris, in cœlestis Ecclesiæ

siæ consuetudinem evocatus est. Cum verò LVtheri opera, Deus, in Ecclesia, res maximas & multis gentibus salutares gerere & administrare decrevisset; Donis etiam ad res tantas efficiendas necessariis eum instruxit; excellentis ingenij vi & acumine singulari: in judicando inimitabili στοχασμῷ: in explicandis controversiis doctrinæ summa dexteritate: cognitione sacrarum literarum & cæterarum artium eximia? eloquentia summa, qua par fuit haud dubiè iis, in quibus vis oratoria maxima fuisse existimatur. Inprimis verò animi acris & excelsi magnitudine penè plus quam humana; quæ, duris ut ilex tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro, ita nullis fracta minis aut terroribus, etsi sæviss imis fulminibus Excommunicationis Pontificiæ & proscriptionis Cæsareæ, planè prostratus ac extinctus videbatur: tamen Fide in Deo adquiescente divinitus armatus & confirmatus, contra audentior ivit, & majore ac vehementiore impetu pro veritate deinceps propugnavit, & errores ac idola pontificia evertit. Hanc virtutum & donorum excellentiam, & felicitatem Heroicam in LVTheto vult Deus à nobis agnosci & celebrari, quia de ipso testimonium est, ut verè inquit Seneca, Nullam magnam virtutem sine Deo esse. Dei igitur sapientiam, bonitatem. præsentiam in donis præstantium Heroum, quæ sunt sapientiæ & virtutis divinæ radij, intuentes, Deum auctorem & Archetypum virtutis agnoscamus & laudemus, ut verè scripsit ille: Quos ego cùm laudo, laus ea tota Dei est. Quare ut in hac etiam schola, Deum auctorem & fontem omnis sapientiæ & doctrinæ & virtutum salutarium: & Beneficia Dei, quæ per hoc organum suæ laudis Martinum Lutherum Ecclesiæ & toti Germaniæ tribuit, attentius consideremus ac cele-

ac celebremus: etsi semper mentes gratas in tantorum beneficiorum recordationē defixas esse decet: tamen nunc præcipuè, Anno Iubileo à LVtheri morte exacto, Orationem, die mortis Lutheri anniversario, Collega noster, IOANNES SIMONIVS, publicè recitabit, ad quam diligenter auscultandam, ut frequentes doctrinæ Christianæ, divinitus Lutheri ministerio instauratæ, studiosi, crastina die Hora octavā, in auditorio majore conveniant, moneo: ac simul adhortor. ut cùm tales historias audiunt vel legunt, cogitent, Filium DEI sedere ad dextram patris & dare dona Hominibus: & gratias ei agant, quod aliquos dat salutares Ecclesiæ Doctores & Gubernatores: & petant se quoq; organa salutaria à Filio Dei fieri; secq; præbeant remiges Deo gubernanti non ignavos: ac doctrina se instruant, & ad usus Ecclesiæ necessarios præparent. Datum pridie Concordiæ & Constantiæ virginum, 1596. Quarum die 18 Febr. Lutherus ante 50. annos his terris discedens, utramque ex his Ecclesiis, post eius obitum tristissimis dissensionibus & ἀποστασίαις docentium perturbatis, abduxisse, & secum sepeliisse multis visus est.

David Chytræus.

AD IOANNEM SIMONIVM.

DIcam me herclè, cur morarer invidi
Hirquos retortos? subsilire pulpita,
motumq; vitamq; indui subsellijs,
Tabulata palpitare, saxa succuti

Posito

Posito rigore conspicabar eminus:
Dicente te laudes LVTHERI, lucidâ
Oratione, concitato spiritu,
Vultu sereno, voce delectabili,
Lateris rotatu acerrimo. quidni auribus
Melli fuisset? pone sed tibi verticem
Anima LVTHERI devocata cœlitùs.
Volabat, eminente luminis
Candore, septa flammeis custodibus.
Contrà supercilio jacebat squalido
Ignibus adusta Tartari sequacibus
Leonis umbra, pallido fraterculûm
Comitata cœtu, Cardinale pallido.
Propè emicabat albicans coloribus
Flavûm virentibus solum Germaniæ
Stellæ renidens more, cui purgatior
Fuliginosos nubis aer halitus
Absterfit. hic quot ille rector inclyti
Fridericus Albidos trahebat ordines?
Felix SIMONI, cujus oris auream
Manes sequuntur exciti pellaciam,
Secuta sicut saxa cantus Orphei,
Delphinq; Arionem natator æquoris?
Ecquis Lutheri dicta, facta, pectoris
Cœleste robur, flumen illud lacteum
Oris diserti, te canet disertiùs?

Martinus Braschius Collega.

ORATIO

ORATIO SECVNDA:

DE LVTHERO.

ARgumentum ad vos orationis magnum affero, atq; ut mihi videtur, illustre: Fortissimum Heroëm, eximium & doctissimum Dei servum, Christianæ Religionis instauratorem, Papæ domitorem, MARTINVM LVTHERVM. Idq; adductus hujus ipsius diei ratione, quæ virum tantum, vitæ munere perfunctum, eduxit ex hac rerum humanarum teterrima caligine, & in illa sempiterna luce collocatum cum illo bonis omnibus circumfluente cœlestium animorum cœtu conjunxit. Itaque apud vos, qui eundem, quem professus est vir ille incomparabilis, Filium Dei osculamini, præfari ea supersedeo, quibus alij vestram occupant benevolentiam. Satis enim vos mihi benevolos futuros existimabam, cjus nomine audito, cui secundum Deum, Religionem, cui libertatem Christianam, cui nostras fortunas, cui animæ salutem debemus. Etenim magnum Lutherum fuisse organum Dei, quo Optimus Maximus usus sit in perpurganda Ecclesia sua, ex qua Pontifices Romani, homines impurissimi, Augiæ stabulum jam pridem fecerant; & cujus ministerio salvificam

salvificam fidei doctrinam in Ecclesiam, patriam nostrum omnium laudatiß. quasi postliminio reduxerit: ne quidem ij negare possunt, qui à Luthero in diversas jam tùm abierant sententias. Magno igitur cùm metu tùm labore ipsa Lutheri recordatio apud vos me sublevabit. Quod si, quanta vos propensa animi benevolentia Lutherum ejusque discipulos complectimini, tantadem ego orationis magnificentia facta Lutheri exæquare, amorisq; vestri in Lutheri doctrinam magnitudini, dictorum magnitudine respondere possem, jam planè omni metu defunctus mihi viderer. Sed vereor, ne quod Flaccus de se dixit, idem mihi accidat, ut laudes egregij Lutheri culpa deteram ingenij, ejusq; magna atq; præclara facta modis parvis tenuem. Quæ enim tanta potest existere ubertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tàm divinum atq; incredibile orationis genus, quo quisquam possit Lutheri in Ecclesiam universa promerita, non dicam complecti orando sed percensere numerando? tanta est beneficiorum, quæ per illum Deus in Germaniam dilectissimam patriam nostram, hac mundi postrema senecta, contulit, magnitudo? tanta est immortalium, quæ ex Christi doctrina, cujus ille propagandæ & propugnandæ ἐπιστάτης à Deo excitatus fuit, speramus, bonorum majestas! Itaq; me illa res vehementer conturbat, quæ maximum cæteris dicendi incitamentum solet esse, rerum amplitudo. Locus quidem hic ad dicendum amplißimus, agendum ornatißimus, timo-

rem

rem mihi magnum affert, ut hominum expectationi par esse possim. At hunc vestra in eum, quem dicendum mihi proposui, benevolentia exhauriri, uti dixi, sentio. Rem autem, quæ est ejusmodi, ut iisdem, quibus gloriosissimæ in genus humanum Trinitatis clementia, claudatur terminis, includi se non pati video ingenij mei tenuitati, verborumq; angusto nostro mundo. Verum de multis tamen, quæ Deus per Lutherum humano generi, publicè in reformanda religione præstitit, dicam ego quæ potero, & dicam simpliciter. Tu Magnifice Rector, cœtusq; clarissimorum & doctissimorum virorum honestissime, si videris meam orationem fluctuare nonnunquam, & de cursu suo depulsam temerè jactari, feres æquo animo, pro tua singulari humanitate, & veniam infirmitati dabis. Ab illo autem parente universitatis, cujus laudes hodie deprædicamus, quarum causa & hæc doctissimorum hominum corona convenit ad audiendum, & ego sum ad hunc dicendi laborem suscipiendum incitatus, precor, ut me de rebus maximis differentem donis cœlestibus cumulatum ea dicere patiatur, quæ sanctitati ipsius non aliena, tibi M. Rector probata, vobis amplissimi viri jucunda, studiosæ juventuti utilia sint & salutaria futura. SEDEBAT jam multis à seculis in templo DEI, tanquam Deus, PONTIFEX ROMANVS, homo ille sceleratus, filius ille perditionis, sese opponens & efferens, adversus quicquid dicitur Deus aut numen. Qui etsi Christi nomen & Ecclesiæ non planè

aboleverat, sed potius Christi prætextu abutebatur, & sub Ecclesiæ titulo velut larva delitescebat: lumen tamen fidei, furiosis conatibus, infuso operum humanorum cœno obruerat: quicquid Apostoli ædificaverant, ferro & igni demolitus erat, atq; Ecclesiam à solo Christo vero capite revulsam atq; truncatam, in se ipsa discerpserat atq; laceraverat. Quæ cùm erant indignissima, tùm illud minus videbatur ferendum, quod in tantis flagitijs, flagitiosissimum illud ac adulterinum Ecclesiæ caput erat ἀναπόδουον, ut quod crudelitate sua, tanquam Gorgonea quadam statua, omnium ferè hominum ora in saxa rigidissima converterat, adeò ut ne mutire quidem quisquam, nedum, nisi cum capitis periculo quærere auderet, Domine Papa quid facis? In tanto totius universi stupore, tantaq; omnium Regum, Principum, Ducum, Nobilium & eorum, qui eruditione atq; sanctimonia vitæ, ceu lumine quodam, orbem terrarum illustrare videbantur, fascinatione, nascitur, in oppido Cheruscorum, Islebiæ, ad Hercyniam sylvam, ex virtute præstantibus & veteris Germanicæ rectitudinis & modestiæ exemplis parentibus, Ioanne Luthero & Margarita Lindemanna MARTINVS LVTHERVS, eodem die, quo nascente Luthero ante 39. annos ad Romaniæ oppidum Varnam Christiani maxima clade affecti sunt, & in pugna circumventus optimus ille Rex Vngariæ, VLADISLaus occisus est, unà cum Iuliano Cardinale, Pontificis Eugenij legato, auctore rumpendi fœderis, quod cum Amurathe

1444. clades ad Varnam

Amurathe paulò antè optimis conditionibus factum accepta, 10. Novembr.
fuerat. Eodem inquam die prodit in hanc lucem MARTINVS LVTHERVS ex familia, neq; opibus firma, neq; copijs locuplete, neq; gloria ampla, sed virtute honesta: Patre metallicarum rationum gnaro & fodinæ præfecto; ut ab his initijs, & ex hac quasi officina fato quodam progressus, tanquam metalli discretor aliquis à S. S. excitatus Lutherus ad magnum atq; planè divinum illud opus auri cœlestis à putidis cuculligerorum recrementis separandi accederet: quiq; idem, quasi Hydrargyron à Deo factus, projectusq; in humanorum operum, tot satisfactionum propugnaculis vallatam piscinam, aggeribus tandem ruptis, pontificias oppositas everteret moles. Neq; verò nascendi fato defuit eventus. Cum enim ut maximis tenebris obscurata, sic in extremis periculis insidijsq; pontificijs res Christiana versaretur; divinitus tandem scelerum ac furoris atq; audaciæ Pontificiæ maturitas in id tempus ætatis Lutheri erupit, quo ille doctrina disciplinarum, quantam ea tempestas ferret, apprimè instructus, bibliorumq; sacrorum cognitione accuratè imbutus jam aliquot annos in claustro familiæ Augustinianæ Erffordiæ hæsisset, & non tantum Pontificij regni portenta ad nauseam usq; cognovisset, sed Deo ita disponente, monstranteq; Sene quodam Augustiniano fratre principia fidei hausisset, & hoc modo totius futuræ de gratuita peccatorum remissione doctrinæ quasi fundamenta jecisset. 1505. Lutherus. Augustinianæ familiæ se mancipavit.

Ex hoc TROPHONII antrosin quod cum non pauper-
tus conjecerat, sed pietatis studium induxerat, quem-
admodum exsuperstitiosis Caldæorũ lacunis Danielem,
aut ex Ægyptiacis tenebris Mosen, extraxit IEHOVA
Lutherum: eumq; cùm dicendi majestate & ornandi
præstantia incredibili, tùm animo armavit magno, &
ad omnes casus ferendos, ad omnem fortunam, ad o-
mnes temporum motus vicissitudinesq; stabili ac pa-
rato. Itaq; vir ille lingua pollens, ingenij cum acrimo-
nia tùm dexteritate præstans, spiritu fervens, in scri-
pturis potens, non principis ullius auctoritate aut viri-
bus circumvallatus, sed solius Iesu Christi filij Dei
& hominis præsidio cinctus, eiusq; verbi infracta vi
nisus, ad perdendum spiritu oris filium perditio-
nis, cujus sica inter Ecclesiæ ipsius latera pridem ver-
sabatur, magnificeq; vincendum illum, Deo impellente,
aggressus; primò illum ex occultis insidiis in apertum
latrocinium conjicit: conjecto deinde furentiq; audacia
ferrum Primatus de manibus exorquet: inermemq;,
sed pestem tamen adhuc Germaniæ nefariè molientem
precibus suis tandem prosternit, atq; ex urbe Dei san-
cta, ope Spiritus S. virtuteq; aliquot Germaniæ prin-
cipum proscribit. Etenim Christianum orbem com-
plexus jam esse videbatur Papo-Cæsareatus: qui non
modò auctoritatem tenebat, sed etiam unus sibi
omnia sumserat, effrenemq; in omnes omninò homines
tàm sceptrigeros quàm baculos, tam augusto quã an-
gusto obscuroq; loco natos, atq; adeò in cœlũ ipsum po-
testatem

testatem & jurisdictionem non sine gravissimo scelere invaserat Ipse. Pontifex, Cæsare Roma, Christo terris extruso, verè pontifex magnus, omnibus gravis atq; intolerabilis, nulli, quod esset coërcendæ ac refrenandæ intemperiei illius, judicio alligatus, sed exlex, effrons, non solum afflictas conscientias gravabat, pro muneribus impium justificabat, quæstum omnem, pietatem putabat, rebus pessimis exultabat: sed, quotquot effrenatæ illi libidini non lenocinarentur, Plutonem, Neptunum, Augustum, Reges, clerum, populum, divos ipsos, imos, medioxumos, maximos, diris execrationibus devovebat. Quod Patris sui exemplū sequuti Filij, Legati ejus, homines crucis manibus sceleratissimi, avaritia immani nocentissimi; luxu effœminati, ambitione perditi; fidem, decus, pietatē, postremo vitia virtutes, honesta atque inhonesta omnia in quæstu habebāt, peccata populi comedebant, peccatis populi vestiebātur, in peccatis populi multipliciter luxuriabantur: atq; ita debacchabantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus esset SATAN à facie Dei. Hæc autem omnia perpetrabat & designabat Pontifex, fretus illo, quē sibi opinionis errore finxerat, summi in terris Ecclesiæ capitis, & universalis totius orbis Episcopi titulo: sub qua larva, non secus atq; sub exuvio leonino Cumanus Asinus, deliteſcens Papa, cœlo tenebras, Neptuno cōpedes, terræ laqueos impunè injiciebat: Atq; quemadmodum in homine sunt nervi, à quibus artus continentur; qui à cerebro tracti & profecti, in corpus omne du-

cuntur: sic regnum Pontificium suos habebat nervos, à summo Pontifice Romano tanquam à capite vitam & originem trahentes: qui per totum regni Pontificij corpus diffusi tantæ Tyrannidis potentiâ, ceu motûs nervi, adjuvabant; sensumq; illi ac vocem quasi & sermonem afferebant. Illos nervos, qui, tanquam exigne, cui aqua suffusa est copiosa, fumus; ita ex sopto per humana merita Beneficiorum Christi lumine extiterant, satisfactiones appellabant. Invexerant enim in eam, quæ Iesu Christi sponsa est, Ecclesiam MONACHI hoc portentum, nos quidem à Dei clementia delictorum veniam impetrare, sed non nisi operum; quibus peccatorum noxa compensetur, debitaq; iustitiæ satisfactio persolvatur; merito intercedente. Erant autem ejusmodi, quibus peccata redimerentur, gradus plurimi, viæ mille: Meritum congrui, meritum condigni: merita dilectionis erga Deum, merita dilectionis erga proximum: merita propria, merita aliena: merita vivorum, merita defunctorum: merita fraternitatis, merita cucullarum & regularum per jejunia: peregrinationes: spontanea paupertas: Missæ: Vigiliæ: Eleemosynæ: castigationes corporis: aspersio aquæ lustralis; ignis & balneæ purgatorij: ædificationes Cœnobiorum: extructiones templorum & altarium: imposituræ indulgentiarum pro peccatis, non tantum præteritis, sed etiam futuris. Quæ verbo quidem omnia erant adminicula quibus Deus esset propiciandus, quibus debita justitiæ Dei persolvenda, quibus delicta compen-

compensanda, quibus venia non vivis solum, sed mortuis quoq; emerenda: re autem vera operum illorum doctrina opũ erat aucupium: Tyrannidis Romanæ, in Ecclesiam usurpatæ, propugnaculum: vitæ pontificiorum sceleratissimæ juxtà atq; impurissimæ velum. Ad quam malorum lernam accedebãt reservationes pectorales, reservationes mentales (horesco in sola verborum aspiciens monstra) regressus generales, speciales accessus: incorporationes, uniones, relaxationes: taxæ pœnitẽtiariæ: taxæ cancellariæ Apostolicæ; pallia; annatæ. Quibus rebus omnibus effectũ est, ut in orbe Christiano toto tã locuplete nihil, nihil in tot oppidis tam copiosis, tot familiis tam penè infinitis, nihil in ædibus cujusq; à cupiditate & latrocinio Romani Pontificis tutũ esset atq; securum: sed expilatæ sunt provinciæ, vexatæ respub. regna spoliata, cives Christiani cruciati, & contrà sentientes aut de cœlo Romano tacti, aut ferro necati: ita, ut parum abfuisset, nisi Deus providisset, quin eiusmodi adminiculis famosa venefica ac Tarpeia magna meretrix totius orbis Christiani vires ac facultates infregisset, & tanquã Charybdis vorax absorpsisset. Etsi autem non solum populus DEI tanta tyrannide, & luctuosissima conscientiarum carnificina excarnificatus jampridem gemebat, & ex immanis atque furentis bicornis Bestiæ, Romani Episcopi, faucibus eripi, in libertatemquè Christianam vindicari ardentibus votis suspirabat: sed in mediis etiam regionibus, Papam Christi vicarium amplexis, semper aliquã

qui inventi sunt, qui Romano Antichristo, qui Romanæ curiæ, qui horribilibus abusibus, qui manifestis erroribus, qui idolomaniæ tam abominabili, tamq; multiplici, qui immoderato fastui, superbiæ, qui denique inexplebili avaritiæ palam contradicerent: illorum tamen pars maxima duris affecta est supplicijs, & è medio sublata, Tyrannide pontificum, eorumq;, quos suæ habuerunt crudelitatis approbatores, satellites atq; ministros. Noluit enim DEVS pro inexhausto arcano consilio suo, prius vim atq; robur Pontificij regni labefactare, quam ad summũ gradum iniquitas ejus, & Tyrannis perveniſſet: ut quò ascendisset altius, eò corrueret fœdius. Cùm igitur nota turpitudinis nulla foret, quæ non inusta esset sanctissimæ Monachorum vitæ: nullum infamiæ dedecus, quæ non inhæreret Episcopali tiaræ: nulla libido, quæ ab oculis, nullum facinus quod à manibus, nullum flagitium, quod à toto corpore Pontificij regni abesset: extitit Martinus Lutherus ad publicum docendæ Philosophiæ Aristotelicæ ac sacræ scripturæ munus Erffordia Vitebergam, anno post initium Academiæ sexto, jam traductus: ibidemq; jubente Augustiniani ordinis præ-
1508. Luther Vitebergã venit. side Staupicio, consentientibus omnium ejusdem ordinis fratrum suffragijs, Septemviro Saxone Friderico sumptis præbente, gradu Doctorum Theologiæ paulò post ornatus. Is ab exiguis orsus initijs, cum nihil cogitaret minus, quàm quod Papam terrarum Deum offen-
1512. deret, ne dum pessundaret, operis successu constituturum

se,

se, experiundo cognovit esse cum, per quem IEHOVA in regnum Pontificis Romani tàm potens, tantis opibus munitum invaderet, & populum Dei afflictum atq; gementem ex tanta Tyrannide, tanquam ex Ægyptiaca servitute, tandem liberaret. Nam cùm circumacta esset periodus tertia, completis inde usq; à Tyrannidis in Ecclesia Pontificum initio annis quingentis, & verteretur jam centesimus annus inde usq; ab exitu Synodi Constantiensis; quem fatalem mutationem allaturum esse Romæ Hierarchiæ prædixerat Hussus, quam nulla sævitia, incendijs nullis essent prohibituri: cumq; jam Lutherus, ut, in qua legitimè à Deo constitutus erat, statione vigilaret, & tanquam fidelis in domo Domini servus, Epistola Apostoli Pauli ad Romanos explicata, regios vatis Psalmos erarraret: eaq; scripta sic illustraret, at post longam & obscuram noctem doctrinæ lux oriri videretur: ecce TECELIVS, monachus quidam Dominicanus, cujus præter cæteros nobilitata erat impudentia; passim in Germania, titulo Archiepiscopi Magdeburgensis, Indulgentias venales circumfert: quibus cùm omnium delictorum, tum stupri etiam Mariæ Sempervirgini illati expiationem, salutemq; æternam, interveniente nummo, largè pollicebatur. Ejus impudentissimi Sycophantæ clamoribus & nefarijs concionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, primò cæpit monere homines, agerent prudenter, neq; merces illas tanti compararent: quod enim his impenderent, multò posse collocari melius.

Luth. gradu Doctorum in Theologia ornatus.

Deinde Moguntinensi & Brandenburgensi Episcopis scribit, rogans, compescerent impostorum venditantium indulgentias rabiem ac blasphemiam. Sed cùm ab utroq; sperneretur fraterculus Lutherus; ut is cursum mentium & vendentium in templis Pontificiorum non nihil tamen inhiberet, ac retardaret; & præterea ad inquisitionem veritatis in tàm spinosa disputatione aliquos inflammaret, anno Christi 1517. 31. Octob. Mensis, anno post initium Academiæ Witebergensis 15. disputationum capita 95. Witebergæ ad fores templi, quod arci contiguum est, affixit, quibus de purgatorio, de vera pœnitentia, de charitatis officio, de indulgentijs copiosè disputabat, ita tamen, ut ne voce quidem humana vulneraret, nedum verbi divini gladio trucidare Papam vellet. Verum TEcelius, qui non ad disputandum, sed ad emungendum Germanos argento, in eas oras venerat, primum stomachabatur: mox, ne planè pontificij aucupij dolum orbi Christiano, silentio suo, prodere existimaretur; quædam alia, à Conrado quodam Wimpina in senatu Monachorum Teceliano consarcinata, themata, Lutheranis planè contraria, Francofurti, quod est ad Viadrum nobile oppidum, divulgat, nullis scripturæ testimonijs munita, sed crepitibus Tecelio dignis, minisq; referta. Quibus cùm Lutherum jam flammis consecratum, terrere vellet, tantum abfuit ut terreret, ut animum etiam Lutheto adderet, & necessitatem imponeret, se & suam sententiam, tum concionando, tum disputando defendendi,

dendi, & totam de pœnitentia, de remissione peccatorum gratis ex indulgentia & misericordia Dei propter filium donata: de fide justificante: de discrimine legis & Evangelij: justitiæ Spiritus & politicæ: de bonis operibus, & pædagogia ceremoniarum humanarum: de usu sacramentorum doctrinam explicandi disertius. Iam tum mente & cogitatione prospiciebat Lutherus, quæ studia hominum diversa, qui concursus cucullegerorum futuri essent, quantam expectationem magnitudo contra indulgentias disputationis, rei novæ atq; inauditæ, allatura, quantam hostium multitudinem Pontificis Romani majestas concitatura esset. Itaq; ut ne sibi suæq; caussæ deesset, supplicibus literis ad LEONEM decimum, vulpinæ sanguinolentiæ Romanum Pontificem, datis, quanta sit exponit quæstorum 1518.
temeritas, quanta avaritia, quanta pontificiæ auctoritatis apud illos abusus: quam illorum cum ferre nec potuisset nec debuisset in Romanam sedem contumeliam, se edidisse fatetur, & ad disputandum, non concludendum proposuisse quædam, quibus tantæ quæstorum cùm libidini, tùm impietati obviam iret. Non dubitare se autem, quin, quæ esset adversariorum petulantia, graviter esset ab ijs apud Romanam curiam delatus. Verum se conscientia rectè factorum non tantum niti, sed caussam, vitam & salutem suam Pontificis arbitrio atq; potestati permittere: à quo quicquid profectum fuerit, habiturum se eo loco, atq; si à Christo ipso profectum esset:

esset: eodemq; jubente se nulla mora impeditum iri, quin jugulum cervicemq; percussori præbeat. Tanta, adhuc erat nominis Pontificij apud ipsum Lutherum reverentia! tantus metus! Dum hæc ita in aula Romana per literas agit Lutherus, ECCIVS quidam, homo tiaram in cerebro conceptam parturiens, & Sylvester PRIERIAS, ut magis accenderent Pontificis & Regum odia adversus Lutherum, valdè confidenter & animosè contra Lutherum in arenam descendunt. Adjunxit se illis socium famosus & reverendus Magister ille noster Iacobus Hogestraten. Sed hujus crepitus asininos, Lutherus protestatione, quam vocant, opposita explodebat: illum & istum postulatis ex sacra scriptura petitis potenter retundebat. Cumq; instaret Sylvester, tantùm non Deum ex Papa faciens; Lutherus non obscurè ostendit, quod si Pontifex & Cardinales idem quod Sylvester sentiant, jam nullum esse dubium, quin Roma sit ipsissima Antichristi sedes, quin curia Romana sit synagoga Satanæ, quin Pontificij ministri & approbatores, nocentissimæ atq; exitiosissimæ sint totius humani generis pestes. Interea fama disputationis contra indulgentiarū quæstum Lutheranæ Romanam aulam incenderat. Sed LEO cogitabat, consilio omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decere; & prius hic balandum esse quàm rugiendum. Ergò primò Lutherum, ad dicendum causam, Romam pellicere studet; deinde, cum ad urbem proficiscendi necessitatem remitti Luthero

thero Septemvir Saxo Fridericus commendatione sua effecisset, Cajetano, jam antè in Germaniam ablegato, mandat, ut doctis dolis & fabricis pontificijs nascenti Lutherano malo medicinam ante faciat, quàm longius serpendo vagaretur. Is dicto parens, Augustam Vindelicorum, sub idem tempus, quo Maximilianus primus, imperator, sacri Germanici imperij Senatum postremò coëgerat, Lutherum vocat, nec ulli parcit operæ, quin præsentem Lutherum ad trisyllabam istam vocalem REVOCO, impelleret. Sed neq; Cajetanus neq; quisquam alius Lutherum expugnare potuit consilio, nunquam ullo artificio pervertere, nunquam ingenio suo labefactare atq; infirmare. Quod videns Cajetanus: cùm rerum Romanarum usu edoctus sciret, quo non pertingeret vulpina pellis, ibi assuendam esse Leoninam: Lutherum Romam ire jubet, simulq; Septemvirum Fridericum Saxonem; cujus tùm præcipua in imperio auctoritas erat; monet, ut, quod jussus erat à Leone Papa, Romam dimittat Lutherum, vel ex terris suis pellat. Sed sapientissimus Princeps indignum Christiano tanto nomine censebat, eum, qui ad verbum Dei provocaret, hostium libidini dedere, & quidem non convictum erroris. Non igitur passus est Romam attrahi Lutherum: sed rem ita moderatus est, ut Lutherus fidem dare paratus esset Cardinali, tacente adversario, se quoq; taciturum, osq; compressurum. Quod cùm Lutherus obtinere non posset; quod existimaret Cardinalis, hæretico Luthero sanctam Romanam Ca-

nam Catholicam Ecclesiam cedere nec posse nec debere, nedum tacendo suam caussam pravitati Lutheranæ exæquare: Lutherus ad Pontificem appellare coactus est. Verùm cognito, quod jam Romæ inaudita caussa planè Romano Pontificio more condemnatus esset, ad
1519. concilium à Pontifice provocabat. Eccius deinde non longè post cantionem suam; quemadmodum Aristophanicæ ranæ suum βρεκεκεκὲξ κοὰξ; recoaxat: & pugna hostiliter redintegrata Lipsiæ cum Luthero de primatu Papæ, deq; indulgentijs præcipuè, collatis signis congreditur. Verū, quia Eccij Pontificijs nugis, Lutherus divinis testimoniorum turmis in aciem processerat: Lutherus Eccio prælio fuit superior; victorq; per Dei gratiam domum reversus triumphavit, publicè positis trophæis, libris de duplici justitia; de salutari meditatione passionis Christi: de Baptismo: de præparatione ad mortem: & id genus alijs saluberrimis commentarijs editis. Leo autem Pontifex, ut pergeret esse leo, dolore, ex suorum cum Luthero conflictu infelici, concepto, notabat & designabat oculis ad cædem, non tantum Lutherum, sed omnes etiam, quotquot Luthero patrocinabantur. Militium itaq; cubicularium suum, qui postea in Rheno suffocatus interijt, nobilem Germanum mittit, qui Lutherum Romam omnino abduceret. Sed cum is, Germanorum in Lutherum studijs impeditus, nihil profecisset, magno deinde rugitu Leo Lutherum propter duo ut Erasmus dixerat, maxima peccata, quod Coronam Papæ & Monachorum ven-

tres

ires disputationibus suis attigerat, anathematis fulmine percutit: Saxoni Septemviro mandat, ut & Anathema illud Lutherum aut ducatu expellat, aut ultimo supplicio macter, & libros ejus cremet vel Romam mittat. Sed Leonis bulla galli Saxonici Lutheri cantum reformidans & fugiens, verè bulla ad Dominũ redijt. Iam enim non solum paulatim Pontificis Romani majestas apud Saxones evilescebat, sed Fridericus etiam, Saxoniæ Septemvir, nunquam satis laudatus ille princeps, sapientia sua effecerat, ut neq; Lutheri doctrinã defendere, neq; etiam, nisi errorum convictam, aboleri pati velle videretur. Sed & ipse Lutherus, quemadmodũ cæcus, qui; cùm Christus in oculos ejus exspuisset, imposuissetq; ei manus; primùm homines instar arborum ambulantes vidit: deinde rursus à Iesu impositis manibus restitutus est, & vidit procul & dilucidè omnes: ita, ex cæcitate pontificia in lucem & claritatem Evangelij transiens, principio, quasi trabes, abusus indulgentiarum conspexit: deinde scribendo & docendo proficiens, oculatior paulatim in animadvertendis Papatus abominationibus, digito Christi oculos mentis ejus aperiente, factus est. Ergo cum intelligeret, sua, qua hactenus usus erat, modestia nihil se aliud consecutum, nisi quòd Pontificij eam, qua immoto Dei verbo, tanquam Petra aliqua niteretur, doctrinam cogitarent rota, ferro, flammis contundere, mactare, exurere: magno atq; invicto animi robore plenus Spiritu sancto, Pontificem Romanum in lu- 1520.

cem Lu-

cem Lutherus protrahit, & detracta pelle ovina ANTICHRISTVM eum Magnũ esse ostendit, eumque suis ita expictum coloribus vivis orbi Germano exponit, ut ab omnibus Antichristus agnosceretur, nec amplius furtim latere posset. Quod enim Daniel vaticinatus erat de Antichristo, fore, ut staret loco sancto abominatio tanta; quodq; Paulus de filio illo perditionis prædixerat: id demonstravit Lutherus, Papam, in sublimi Ecclesiæ solio residentem, jam multis annis implere: cujus ipsius os impudens damnet eum non modò hæreseos, sed extremæ etiam impietatis & blasphemiæ, læsæq; in veritatem divinam Majestatis: ostendatq; vere eum ipsissimum esse hominem, qui adversetur atque extollat se super omne, quod dicitur aut colitur Deus & numen: qui sæviat per orbem Christianum bello, cæde, igni: qui exhauriat hoc universum & vastet tyrannide sua: qui Aristotelis portenta sexcenta ferat, Christi Evangelium è synagogis suis ejiciat: qui impias juxta atq; barbaras Decretalium constitutiones exosculetur, Christi meritũ flagellet: qui veritatem à tot summis etiam pontificibus agnitam & probatam, nullo Dei metu, nulla hominum reverentia damnet, damnatam Vulcano mancipet: cujus legati, sanctissimi Patres, præ sanctitatis nimio studio filios sibi dilectos occidant, præ charitate fratres perdant, præ amore oves devorent: Iidemq; veritate & conscientia, quasi compedibus quibusdam constricti, nec pudenter mentiri possint, nec vera dicere prudenter ausint:

ausint: Idem denique accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis oblíti, debilitati stupris, eructent sermonibus suis eadem piorum atq; orbis incendia. Quare hortatur & monet omnes homines, quotquot suæ salutis naufragium facere nolint, de Babylone purpurata, Roma, exeant, excedant, aufugiant, & suam quisque eripiat animam. Hoc modo productus ex latibulo Antichristus Romanus, cum videret pudenda sua in faciem suam esse revelata, ostensamq; gentibus Meretricis Tarpeiæ nuditatem, & Regnis Babylonici scorti ignominiã patefactam; rugiebat, furebat, frendebat: universoq; Tyrannidis suæ armamentario excusso despiciebat consultabatq;, quo genere armorum emergentem veritatem Christianam retunderet; Bullisne Lutherũ expugnare pergeret? percussis quoq; iis, quos ille suæ causæ patronos haberet & fautores & promotores? An verò bellis ruinaq; Germaniæ renascentem religionem opprimeret? postquam totum orbem terrarum excitasset ad arma, & præmio remissionis peccatorũ proposito Iovem, Vestã, Neptunũ, inflammasset, precioquè proscriptorum Lutheranorum capita pactus esset. Iam pedũ visa erat via. Meminerat bipedum sanctissimus, in Papyrum bullis, in Petri clavibus, in gladio Pauli maximum curiæ Romanæ præsidium, adeoq; vitam & salutem hactenus posita fuisse. Sed apud plerosq; Germanos Bullas bullas factas, minas Pontificis nugas, fulmen è Romano vibrari

solitum cœlo, stramen, rugitusq; leonis in asini crepitus degenerasse, id verò dolebat. Bullis itaq; & clavibus Petri quia Germania ferox domari porrò nolebat, bellis & gladio Pauli domandam censebat: Luthero prius per insidias sub fidei datæ specie oppresso. Neq; decrant Leoni exempla, neq; persiciendi vires. Conspersum adhuc tùm Hussi, tum Hieronymi Pragensis sanguine ferrum ob oculos radiabat. Stabat alta mente repositum illud Catholicum: Hæreticis non esse servandam fidem. Hærebat infixum memoriæ, se esse quidem servum servorum, sed servum talem, qui sit Rex Regũ & Dominus dominantium: qui regna transferat & det quibus velit: qui vacante imperio Imperatori succedat: cujus pedes exosculari teneantur Reges, Cæsares, Monarchæ. Famulũ talem, qui sit caput totius mundi: qui sit ejus sublimitatis & eminentiæ, ut ipse Imperator in convivio teneatur famulo Pontifici ministrare aquam ad lavandas manus, portare primũ ferculum ad mensam ejus, tenere stapedes equi, quando equitare vellet, ejusq; equum loro aliquousq; traducere. Ad summã famulum talem, qui Deus sit terrestris, qui cum Deo par habeat concilium, qui cùm datam habeat omnem potestatẽ in cœlo & in terra, dominetur Angelis poli, regibus soli, Diabolis inferni. Talem se famulũ, tantumq; servorũ servum se esse cogitatione repetebat. Ideoq; nihil periculi sibi à Luthero futurum spondebat: aut si imminere posset, tum se vel suppulsione pedis, non modò Italiam, quemadmodum Pompejus olim, sed cœlum

lum etiam, sed terram, sed Acheronta moturum, effecturumq;, ut conjunctis viribus ad incendium istud Lutheranum extinguendum ruerent. Quod si Leonis in administranda adversus Lutheranos sævitia, ministri esse recusarent Cæsar, Reges, Principes: rugitu suo ex orco excitaturum se Alexandros, Hellebrandos, Bonifacios, qui præfractos illos mundanos Basiliscos pedibus conculcarent, regnis exuerent, in pistrinũ compingerent. Hæc, & his crudeliora, apud animum suum deliberata habebat Leo: & jam non solum, quas in Lutherum evomuerat, diris, Cæsarem, Reges, Principes in exoriens Evangelij jubar exuscitaverat, sed per emissarios suos incendiarios ignem molieba-tur, quo Germania, in se ruens ipsam, conflagraret. Interea Lutherus, quantis potest viribus omni contentione in primatum Pontificis Romani ejusq; regnum, zelo planè Eliano impetum facit, gladiumq; libidinosæ dominationis nocentissimum Leoni de manibus extorquere gestit. Nam quod Christus dixerat ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam: hoc non solũ sceleratè, atq; uti meretricem Babylonicam decebat, libidinosè cò detorserat Papa, quasi his verbis Petro Pontificatus & Primatus super omnes Apostolos, imò in universam Ecclesiam dominatus stabilitus esset: sed huic etiam turpissimo mendacio turpius addiderat, Petro confestim in eo officio alium, qui ædificium Ecclesiæ sustineret, videlicet Episcopum Romanum, indeq; subse-

quentes ordine Episcopos successisse: atq; his præstigijs in primatum Ecclesiæ, bonis parum vigilantibus, furtim se insinuaverat: non, ut Ecclesiam Iesu Christi sponsam verbo Dei pasceret, sed ut Rempub. Christianam omni scelere vexaret. Facilè autem, quæ ipsius erat perversitas, perspexerat, Tyrannidem, ijsdem, quibus comparata sit, artibus conservari. Itaq; quemadmodum in officium, & unigeniti filij Dei, plenarij & cunctis numeris perfecti Ecclesiæ capitis, honorem involaverat: sic scripturas sacras, quibus, Apostolo teste, superstructam Ecclesiam cognoverat, perfidia simili aggrediendam esse ducebat: &, quod in civilibus bellis facere solent victores, qui gladios, sicas, lanceas, pila, sclopeta, tormenta, clypeos, scuta, galeas, loricas, cæteraq; seu instrumenta seu ornamenta bellica victis eripiunt, ne quid contra victorem aut temerè moliri, aut violenter peragere possint: idem faciendum sibi existimabat, eripiendamq; orbi Christiano ὑπλοθήκλω sacræ scripturæ censebat, ut ne quibus se tueri adversus libidinem curiæ Romanæ posset, arma suppeterent. In quo quidem scelere, singulari usus est strategemate, vafritieq; multis modis Diabolica. Sacram enim scripturam; quæ Apostolo Petro sermo firmus & semen vivum est atq; immortale, cui tanquam lucernæ in loco obscuro Christianos omnes attendere oportet: illud sacrosanctum Dei vivi verbum traduxit esse regulam plumbeam, quæ pro volubilitate & levitate pontificiæ Ecclesiæ insigni nunc has nunc illas interpretationum for-

num formas assumere posit & debeat: illud traduxit esse regulam obscuram, esse mutam atq; mortuam literam, atq; hoc modo in suspicionem varietatis, lubricitatis, obscuritatis, infantiæ, frigiditatis positam sacrosanctam scripturam, Romanæ Ecclesiæ commentis dirigendam, Pontificum decretis illustrandam, traditionibus & Patrum scriptis ad vitam & loquelam quasi suscitandam esse, nullo pudore est mentitus. &, quod indignissimum erat, ne censeri judicariq; glossæ assentatorum & palponum Romanæ curiæ, nevè sacrilega edicta ad lapidem aliquem Lydium probari possent; omnes, quotquot characterè bestiæ bicornis indelebili non erant signati, omnes, quos Laicos appellabant, à lectione Bibliorum superbè ac contumeliosè rejecit. In tanto latrocinio ne deprehenderetur, occæcavit oculos hominum Papa, atq; ne proprijs feriretur pinnis, exemplo patris sui Iuliani Apostatæ, linguarum studia extinxit: illis extinctis superstitiones deinde natæ sunt, & opinionum colluvies, manifesta idolæ probantium, in fontes Evangelij limpidissimos inundavit. O impudentiam Giganteam! ô scelus! quod nunquam in æternum non dicam defendi, sed colore saltem aliquo excusari poterit! Ecclesiam, populum, quem Deus sanguine suo redemit, orbare telis, spoliare, quibus tectus esse posit, linguarum præsidijs: per latrocinium privare armamentario, quo profligandæ affectatæ in Ecclesiam tyrannidi, & è dubitationibus extricandis hominum conscientijs certa & indubitata

ἀμωτήεια depromi possint! Hoc tanto in Ecclesiam Iesu Christi sacrilegio commisso, cùm jam, quibus conatus curiæ Romanæ tam nefarius tamq; abominandus impediri aut impugnari possent, omnes viæ essent præclusæ, omnes aditus essent insessi: Papa Romanus turrim primatus Babylonicam, cujus iam pridem, ab Apostolorum etiam temporibus fundamenta poni cœpta fuerant, ædificare pergit; continuatoq; opere supra omnes eam Ecclesias orbis, supra concilia, supra DEVM ipsum ingenti molimine in sublime erigit & evehit: erectam evectamquè ad stuporem firmat, & tanquam muris atque propugnaculis sepit brachio seculari; ordinum innumerabilium catena, sectis quidem divisorum, sed in ipso summo capite consensu admirabili revinctorum: præbendis opimis, largitionibus amplissimis, præmiis luculentis, quibus corrumpebat & in obsequio detinebat eos, qui Deum ipsius Maozim colerent & venerarentur. Vtq; ab omni incursione hostili tuta esset turris illa Babylonica, aut si impetus in eam fieret, ut rejici hostis magna vi & submoveri posset: subvexerat in eam Pontifex Roman. duo magna tormenta, nomine quidem, auditu non iniucunda: nam claves dicebantur, & gubernationem domesticam sapiebant: abusu autem catapultis & serpentinis quibus vis horribiliora, magisq; formidanda. Iis enim, ut ad libidinē, nullis limitibus aut finicus circumseptam, statuendi quidvis, audendi quidvis, prohibendi quidvis in spiritualibus simul & mundanis

facta

facta vi via perruperat: sic non tantum peccata remittebat quibus volebat, sed & regna auferebat, quibus volebat. Iisdemq;, igni de cœlo devocato, fulmen excommunicationis cum summa hominum admiratione in omnes, quotquot placitis ipsius suffragari nollent, mortuos juxta atque vivos eiaculabatur. Iis denique stupenda omnia, maxima quæque scelera, maxima in cœlo & in terra & in inferno prodigia designabat. Ergo Lutherus, ut invictum illud Medusæum caput à summo fastigio dejiceret: ut turrim Babylonicam uno impetu demoliretur: ut muros propugnaculi Tarpeij fortiter subrueret: ut totum regnum pontificium ageret, raperet, tunderet, prosterneret; primò sacræ scriptura armamentarium jam pridem per vim, per fraudem Ecclesiæ, Iesu Christi ereptum, à prædone Papa repetit, denegantemque è jure manu consertum vocat. Dehinc argumentis omni exceptione majoribus demonstrat, sacræ scripturæ lectionem ad omnes Christianos, pertinere: & esse, non uni soli Pontifici, sed omnibus piis, non ordini alicui certo, quem humanum finxisset cerebrum; sed singulis quotquot Iesum Christū induerunt fidelibus commune. Quorsum enim opus erat, Christianos ex æquo omnes tam operosè commonefacere, ut à Pseudoprophetis sibi caveant, ut ex eorū fructibus eos cognoscant, ut dent operā, ne se patiantur seduci à Pseudoprophetis & Pseudochristis, quos exorituros Christ⁹ prænonet: similiter caveant, ne quis eos depredetur per philosophiā

& inanem deceptionem? Hanc, inquam, tam negotiosam rationem cavendæ sibi ab illis animarũ latronibus hæreticis, & Pseudodoctoribus, quorsũ attinebat omnibus ex æquo Christianis præscribere, si non ad Christianos æquè omnes pertineret sacræ scripturæ liber, lapis ille Lydius, regula illa Lesbia, ad quam latrones, hæretici Pseudodoctores examinati, à veris pastoribus & piis doctoribus dignoscerẽtur? Quasi verò Berrhoënses, qui Apostolorũ conciones ad normam Prophetica scripturæ veteris Testamenti exigebant, omnes fuerint sacerdotes, & non potius Laici? Quasi verò hi, quos Petrus ait rectè facere, quod sermoni prophetico velut lucernæ in loco caliginoso attendant (quales quidẽ sine exceptione tẽporis, loci, conditionis omnes eos esse statuit, quibus cum unam & eandem ipse fidẽ habeat communem, in Iesu Christo Dei ac servatoris nostri justicia fundatam) quasi, inquam, sacerdotes omnes fuerint, sacerdotes omnes sint, nulli Laici? quanquam & id commentum de distinctione sacerdotum & Laicorum commentorum omnium vanissimum, adeoq; sacrilegium est, non tantum, quia quod universæ Ecclesiæ tribuitur, id paucis arrogat: sed etiam, quòd titulo, quem fidelibus Pontificij præripuerant, superbè gloriatur. Petrus enim totam Ecclesiam alloquitur, vos, inquiens, estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: illi ad pauculos rasos detorquent: quasi solis dictum sit, sancti estote: quasi soli illi sanguine Christi sint acquisiti:

acquisiti: quasi soli illi facti sint regnum & sacerdotium Deo. Quod si Christo, si Apostolis, si Spiritui, qui mentes & calamos illorum gubernabat, Sancto visum fuisset, multis eripere sacram scripturam, & paucis, ordini quem vocat Clerorum adjudicare: nonnè ejus rei testimonia in libro sacræ scripturæ relicta extarent? nonnè expeditior fuisset ratio, & quæ multis perturbationibus, tàm multo humano sanguini fundendo ansam præcidisset, si ita dixissent: librum hunc sacræ scripturæ soli Rasi legunto; vos qui Laici estis, & rerum sacrarum tractandarum imperiti, procul ab ejus lectione discedite, fugite: eo pacto sanctissimum librum magno profanationis metu, vos ipsos multis magnisquè laboribus sublevabitis. Iam verò de eo nec in veteri nec in novo Testamento, nec in Evangeliis, nec in Epistolis, nec in Prophetarum, nec in Apostolorum libris ulla syllaba, ulla vox, ulla sententia, ullus apex, testimonium aut exemplum ullum reperitur uspiam: quin scriò ab ipso Filio Dei, animarum nostrarum pastore tàm fideli, jubemur sacras scripturas scrutari, eo quod testimonium de ipso perhibeant! quin scriò ab Apostolo gentium jubemur omnia probare, & spiritus an ex Deo sint examinare. Constat ergo jã perfidia: patet scelus: in confesso est atrox & pontificiorum omniũ sanguine piandum in Laicos, quos vocabant, revera autem in Iesu Christi cruore unctos Sacerdotes parricidiũ, productumq; est sacræ scripturæ sacrilegiũ effusè impudenter, com-

missam. Sed cerea est, inquis, sacra scriptura, & quovis Protheo mutabilior; sed materia est litis, pomum Eridos: sed omnium est hereseon seminarium; sed mutila est, manca, mortua. O frontem meretriciam! ô os quavis Thaide, quavis Lesbia impudentius! ô blasphemiam, non ferricrepidinis Insulis, sed cententis dignam gehennis! Adeone cereus est ille sermo, quem non libidine sua impulsi, sed Spiritu S. afflati locuti sunt sancti Dei homines; Adeonè cereus ex ille sermo, super quo tanquã fundamento superstructa est Apostolica Catholica Ecclesia? At verò! dubitasnè Romane, quod Messiæ nascituri tribum Iacobus prædicit: Daniel quoq; in annum prope venientis illius in mundũ digitum invẽdit: quod locũ Nativitatis Micheas designat: quod matrem fore virginem Esaias affirmat: quod ejusdem miracula, passionem, sanctissimi corporis lacerationem, vulnera, livores, atq; inter facinorosos numerati suspensiq; in cruce dolores & cruciatus idem Esaias, non tanquam dubius aliquis conjector, sed quasi indubitatus nuncius sic enumerat, ac si præteritarũ rerum historiam contexeret: quod ejusdem Messiæ glorioſam de mortuis resurectionem, in cœlos ascensum & regnũ novum per prædicationem Evangelij toto orbe inchoandum: quod de toto exercitu & effusa gentium multitudine confertissimáq; copia, aggreganda ad novum Christi regnum, prænunciant sancti Dei interpretes? dubitasnè hæc esse eloquia sine Spiritu sancto? At enim, quod Ioannes Apostolus & Evangelista quasi digito

gitio monstrat te Pontificem Romanum, nobile istud Babylonicum scortum, matrem istam magnam Spiritualis scortationis, idolatriæ, omniumq; abominationum terræ promam condam: bestiam istam bicornem, rictum suum immenso propè hiatu diducentem & aperientem ad devorandas carnes, exorbentemquè plenis faucibus eorum omnium sanguinem, qui in ipsius Idolomaniam & superstitiones concedere detrectant: famosam istam veneficam revelandam per Angelum exclamantem per fortitudinem magna voce, cecidit Babylon magna: hæc, inquam, Romane, eloquia esse existimas vanissimorum hominum, & non potius ipsius Spiritus sancti? an hæc Dei in scriptura loquentis κεντήρια esse dubitas? ut taceam trium Evangelistarum sermonis simplicitatem, cœlestia mysteria continentem: Ioannis orationem, gravibus sententiis è sublimi tonantem: in Petri & Pauli scriptis relucentem cœlestem majestatem, & id genus alia sexcenta in scripturis loquentis Spiritus sancti documenta infallibilia. Iam quod Nicolaitæ, Ebionitæ, impurissimorũ hominũ monstra: quod Ariani, Sabelliani, Eunomiani, Macedoniani, aliæquè Reipub. Christianæ pestes: adeoquè quod tu ipsa trivenefica Romana cum tot tuis mancipiis tot adulteris tot scortatoribus præsbyteris, ostiariis, acoluthis, lectoribus, exorcistis, cumque tot Monachorum copiis Augustinianis, Battutis, Bernardinis, Carmelitis, Capuchinis, Carthusianis, Cœlestinis, Dominicanis, Franciscanis, Hieronymitanis, Maturinis,

Fratribus

Fratribus omnibus ignorantibus; quod vos, inquam, abominandorũ errorũ tot plaustra cẽtena millia, quod scelerum colluviem tàm execrandam in orbẽ Christianum invexistis, quod vestris abominationibus sacrosanctæ scripturæ auctoritatem prætexuistis, caussanè putatis esse satis, ut flagitiosissimæ seditionis stigma, ut seductionis turpissimam notam sacræ scripturæ inuratis? Quod si tamen, Beatissime Domine Papa, te in hæreticorum esse numero, ut minimè potes, ita maximè velles negare: ecquid negare poteris, Christum esse positum non tantum in casum & resurrectionem multorum in Israël, sed etiam in signum cui contradicitur? Ecquid negare poteris, omnibus temporibus, imò ea tempestate, cum fraterna amicitia ad duos contracta arctissimis adhuc contineretur limitibus, fuisse, qui amentia & furore instructi turbulentis ac seditiosis clamoribus reip. Christianæ partes, tanquam ejusdem corporis membra distraherent ac discerperent? Ecquid negare poteris, quemadmodum ex ijsdem saluberrimis floribus apes mellificium, araneæ venesicium cogunt: ita ex eadem sacra scriptura fideles succum haurire vivificum atq; salutarem, infideles & hæreticos toxicum? Ecquid deniq; negare poteris, zizania à Diabolo, animarum nostrarum latrone, salutis prædone, pietatis capitali triumviro seminata, & in Ecclesiæ agrum projecta, bonis parum vigilantibus extitisse? Quæ cùm omnia & singula, quamvis sis Diabolo patre tuo in mendacijs cùm fingendis oculatior,

tior, tùm defendendis cordatior, negare tamen non poßis: quanta, quæso, in verbum Dei sacrosanctum contumelia tua, quanta in ipsum Deum Spiritum S. blasphemia ista est, quod Satanæ auctori & inspiratori, quod hominibus instrumentis & tibijs, à Cerbero stygio inflatis, debetur, idipsum sacræ scripturæ expensum referre velle! Sed elumbis est, inquis, sed mortua est scriptura sancta? Macti vos pontificij! macti! Sic pergite ejusmodi encomijs vivum vivi Dei verbum, legem immaculatam, convertentem animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: justitias Dei rectas, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timorem Dei sanctum, permanentem in seculum seculi: judicia Domini vera, justificata in semetipso, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum; dulciora super mel & favum: hoc inquam vivum vivi Dei verbum pergite ejusmodi encomijs illustrare? hæc nimirum est ista via, quæ ut, viri alicujus præstantißimi verbis utar, vos rectà deducet in id cœlum, ad cujus imam abyssum aperiendam claves potestatemq; suam vestro Pontifici Draco infernalis concessit & tradidit! Restituta sacrosancta scriptura suo honori, suo nitori, suo legitimo possessori: recuperatoq; Christiani orbis à Latrone Papa armamentario: Lutherus ingenti animo, impetu majore omnem vim belli ad evertendum Pontificis primatum convertit. Sed quibus artibus perpetuus Christiani nominis hostis

Papæ

Papa in subjugando orbe sancto usus fuerat, ijsdem in hostem ipsum uti Lutherus constituerat; quanquam ratione non eadem, sed prorsus contraria & adversa. Ille ex insidijs, sacræ scripturæ armamentarium Christianis præripuerat. Hic aperto Marte claves, quibus se tanquam armis Latro Papa defendere hactenus solitus erat, extorquere satagebat. Ille fraude maxima, scelere pari, Ecclesiam, quibus se adversus luporum grassantium vim protegeret, telis spoliaverat. Hic summa fide, quibus abusus erat Pontifex claves, non tam prædoni eripere, quàm vero usui restituere gestiebat. Ille linguarũ studia flagitiosè projecerat, projecta situ & squallore flagitiosissimè corrumpi passus erat: hic reduci literarum studia contendebat, reducta in toto orbe Christiano efflorescere ardentibus votis optabat, Hæc cum apud animum suum proposuisset Lutherus, ascito, quì cum rerum gerendarum partes communicaret, legato PHILIPPO MELANTHONE, *divina*

1518. Philippus Melanth. Vitebergã venit.

scientia viro: hunc in barbariem barbarissimorum Monachorum, ad quidditates, Entitates, Dominationes, totamq; bonarum artium insciticm evertendum primum ire jubet. Ipse in Latium prædonem proficiscitur, claves regni cœlestis ab illo repetitum. Quia enim Christus promiserat, Petro se daturum claves regni cœlorum: Pontifices autem verba Christi, de invicta fidei totius universitatis Ecclesiæ petra, ad potestatem jurisdictionis & pompam primatus detorquentes Petro successoribusq; hujus confirmatum voce Christi

Ponti-

Pontificatum nugati erant: hoc prætextu ad se rapuerant, ut diximus, claves, & Papocæsareatum earundem abusu jampridem sibi constituerant. At Lutherus &, jura imperij cœlestis & terreni, Soli Deo convenire comprobat: &, fundamentum fidei in Christum, super quod Ecclesia fundata est, non ad Romanam, sed ad eam quæ Christi est, Ecclesiam pertinere planum facit: &, potestatem clavium in universam Ecclesiam, cujus personam Petrus tùm gesserit, collatam esse docet: &, jus Apostolorum inter omnes Apostolos æqualiter communicatum evincit: &, pastionem curamq; ovium non nisi Christum diligentibus, non nisi gregem Christi docentibus à Christo commendatam ostendit, demonstratq; claves nihil aliud esse, nisi potestatem prædicandi Evangelij, remittendi & retinendi peccata & administrandi sacramenta: Potestatem spiritualem, quæ nec impediat politicam administrationem, nec tamen eidem sit conformis, sed ab ea planè suos fines distinctos habeat; non aliter, atq; res corporales sive res de mundo, à spiritualibus sive rebus de cœlo: quemadmodum gubernatio domestica, à potestate gladij publicæ: quemadmodum deniq; Pax civilis & tranquillitas vitæ, à pace cum Deo & salute animarum, quàm maximo inter se intervallo distant. Quibus ex armamentario sacræ scripturæ depromtis telis pugnans Lutherus orthodoxæ Ecclesiæ jus clavium recuperavit: à sanie & inquinamentis, quibus ex tot moribus & bellis

asperſæ

aspersæ erant, perpurgavit; perpurgatas suo splendori restituit. Clavibus receptis, in arcem Primatus, turrim illam Babylonicam, invadit; fortiterq; in eam verbi divini tormenta ejaculatus, primò fastigium demolitur: deinde fundamentum concutit: postremò fulcimina quoq; ejusdem labefactat. Etenim dominatum unius in universam Ecclesiam capitis talem, qualem sibi Romana arrogat magna meretrix, nec esse posse, firmis & luce meridiana clarioribus argumentis Lutherus monstravit. Cum enim Christus, Deus qui mentiri nescit, ne portas quidem inferorum prævalituras adversus petram; cui se superstructurum dixerat Ecclesiam suam; testatus sit: Pontifices autem negare non possint, se & suam omnem vim ita fuisse à portis inferorum superatam, ut non olim tantum Sylvester 2. Hellebrandus, & pauci ex pontificum numero alij cum inferorum portis & spiritibus malis pacta inierint, seq; totos Satanæ devoverint, sed hodie quoque Papatus totus, quantus quantus esset, qui certè sit maximus, se totum Diabolo ad perdendam & eradicandam Euangelicæ lucis veritatem mancipasset: necesse esse concluserit Lutherus, aut Papam non esse illam petram, super quam Christus ædificaturum se receperat Ecclesiam suam: aut si sit, tùm manifestò Christo crimen impudentissimi mendacij jam esse impactum, falsitatisq; nequissimæ notam jam esse inustam. Deinde cum una sit fides, unum baptisma, unus Christus, unus Pater qui operatur omnia in omnibus, qui

est su-

qui est super omnia, per omnia, in omnibus: Lutherus in verticem Papocæsareatus, aspero atq; prærupto aditu formidandum, invadens, harpagone isto ita eum corripuit, ut cacumen ejus jam ad ruinam impulsum dejiceret. Etenim si habemus unum, quem Pater caput Ecclesiæ constituit Iesum Christum, propter quem in gratiam recipiamur, quotquot credimus omnes: si unum est sacramentum, quo sacro ordini Christiano initiemur, &, quo intercedente, Christū induamus, omnes: si una est fidei manus, qua mediāte meritum & gratiam filij Dei apprehendamus omnes: si unus est Pater, cujus beneficio, cujus dono, cujus operatione ad Christum perveniamus omnes: atq; si harum cœlestium atq; divinarum rerum æquum est in Ecclesia Iesu Christi jus distributū inter omnes, ita ut nemo, nisi graviter impius, efferre se atq; præ alio extollere possit, aut ratione meriti, aut ratione initiationis, aut ratione medij, aut ratione Dei, qui operatur salutem nostram: sed omnes & singuli; sive quis in prima Fidei cera scriptus sit heres, sive in extrema; bonorum illorum ex æquo participent: an non hoc uno telo, illud cædis & sedis Romanæ supra omnem scripturam, supra omnia concilia, supra ipsum Deum eminens fastigium dejectum est? an non dejecta est infinita illa, & ab omnibus legibus, ab omnibus vinculis humanis & divinis, ab omni regula coërcente, Papæ soluta potestas? an non dejecta est balsphemia illa, & in quam omnes omninò Diaboli & portæ infe-

rorum, omnes mendaciorum suorum & odij in filium Dei neruos atq; vires certatim expedierunt atq; contulerunt; Papæ Deificatio? an non potius effectus est Papa larva aut Chymera quædam, quæ in Ecclesia Iesu Christi, ut neq; fuit, neq; existit, neq; erit unquam: ita ad perniciem hominum in contumeliam Filij Dei, ad opprobrium Ecclesiæ conficta est quorundam hominum perversorum & sibi in suis libidinibus palpum ipsis obtrudentium malitia, aquam ferente tota Diabolorum cohorte. Ergo cum hoc modo jugunt turris Babylonicæ, perenni majestate hactenus circumstrepens & tonans, emensus esset Lutherus: ejusq; prærupta, admotis copijs, intrasset, cepisset, diruisset: hinc in fundamentum illius, altis radicibus subnixum, conversis deinde machinis ibat. Quod enim est apud Paulum, de retinendo in architectura Christianæ doctrinæ illo, quod positum est, fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, fundamento inquam IESV CHRISTO: id telum in curiam Romanam adeò fortiter contorto cornu evibravit, ut fundamenta ejus emoveret. Si enim fundamentum, præter quod nemo possit ponere aliud, positum est & jactum; ecquid Papa Romanus aliud jacere poterit? Ecquid ipse erit ille NEMO? si verò non poterit aliud Papa fundamentum ponere; qualia erunt illa bonorum operum, qualia illa erunt satisfactionum fundamenta? FVNdamentum, quod est Iesus Christus, positum est, inquit Apostolus, præter quod nemo aliud ponere potest

Qua

Quale igitur Christus nobis est fundamentum? Nimirum tale, quod in ipso electi sumus ab æternitate ante mundi constitutionem, nullo nostro merito, sed secundum divini beneplaciti propositum: nimirum tale, quod ejus morte ipsi à mortis damnatione redempti, ac liberati à perditione sumus: nimirum tale, quod in ipso adoptati sumus in filios & hæredes à Patre cœlesti: quod per ipsius sanguinem huic sumus reconciliati: quod illi in custodiam dati, percundi excidendiq; periculo eximimur: quod illi ita inserti, jam vitæ æternæ quodammodò sumus participes, in regnum Dei per spem ingressi: nimirum tale, quod ejusmodi participationem Christi adepti, utcumq; simus in nobis adhuc stulti, ipse nobis coram Deo sapientia est: utcumq; peccatores simus, ipse nobis justitia est: utcumq; immundi simus, ipse nobis puritas; ut infirmi & inermes, ille nobis robur: ut corpus mortis adhuc nobiscum circumferamus, ipse tamen nobis vita est: ad summam tale fundamentum, quod omnia illius nostra sunt, quod nos in illo omnia habemus, in nobis nihil. Tale, tale fundamentum nostrum est Iesus Christus, super quod, per SOLAM FIDEM, ædificari convenit omnes, qui volumus in templum Domino sanctum crescere: super quod ipsum etiam Papam ædificari oportebat. Sed tantum abest, ut Pius perditionis se fundamento Iesu Christo superstrui passus sit, ut pro effrenata sua impietate non sit reveritꝰ uni & soli fundamẽto Iesu Christo innumerabilia alia atq; è dia-

metro adversantia vitæ æternæ fundamenta substruere: Monachorum videlicet & monialium supererogationes, infinitas meritorum humanorum phalangas: abominandum cruentæ missæ opus operatum: claustra & cœnobia; conscientiarum laqueos, pietatis simulatæ ergastula, perfectæ nequitiæ statum, scelerum & libidinum omnium officinas: pias indulgentiarum Papalium fraudes: absolutionem à peccatis, auro & argento redimendam: discursationes ad statuas: peregrinationes: flagellationes: jejunia: peculiarum demurmurationes, & id genus infinita alia legum rituumq; monstra, quibus Romana sedes totum mundum perdidit, & animas, numerum ipsum arenæ maris superantes, Stygio mactavit Iovi. Verum illa omnia commenta Lutherus ariete isto unico Iesu Christo, qui positus est fundamentum, præter quod NEMO aliud ponere potest: ariete, inquam, isto unico Iesu Christo illa omnia βδελύγματα; quibus non secus atq; immoto fundamento turris Babylonica incumbebat; percussit, perculsa convulsit, convulsa tanquam paleas per orbem Germanum disjecit. Iámq; immensa Pontificij Latrocinij moles planè corruisset, nisi meretrix Babylonica, pro sua incomparabili audacia, Ecclesiæ sanctæ matris auctoritatem: Patrum fidem: conciliorum sanctiones: Pontificum decreta: Apostolorum ementitas quasdam traditiones: liberi arbitrij commentum in auxilium advocasset, & instar tibicinum lateribus jam jam ruituræ Babylonicæ susti-

ca sustinendis promiscuè supposuisset. Verum subducto & in ficulnea illa ROMANÆ SEDIS FVLCRA sacræ scripturæ Bronteo, sic ea concussit, sic ea fregit, sic ea egit Lutherus, ut fragorem ex ipsorum ruina non Albis tantum & Ister audirent, sed Borysthenes atq; Tyberis ipse horrerent. Quomodo enim sacræ scripturæ catapultas sustineret Ecclesiæ, quem illi crepant, titulus? quomodo sustinerent Patres? sicubi à sacræ scripturæ fundamento aliena doceant? aut quomodo ejusdē impetū, non concilia, sed conciliabula? quomodo decreta? quomodo cætera ferrent? Largimur sanè, nec invidemus Pontificijs Ecclesiæ titulum: sed titulum Ecclesiæ super decreta Pontificum & bullas curiæ Romanæ ædificatæ: sed titulum Ecclesiæ malignantium, quæ sibi laudes & præconia Ecclesiæ falso & inani titulo vendicat, & veram Ecclesiam infesto ac immani odio persequitur. Hanc laudem Ecclesiæ illis non inviti largimur, ejusq; auctoritatem & majestatem ex regiorum Psalmorum præfatione ijsdem propinamus. Atqui cum canonibus etiam cautum sit, ne scripturas sacras quisq; spiritu proprio interpretetur; ecquid Ecclesia, mater Pontificiorum sancta? ecquid Augustinus? ecquid Thomas? ecquid totus Patrum chorus? ecquid illa ipsa, in quibus omnem victoriæ spem positam habent, concilia, ad primum sacræ scripturæ lapidem non corruent, si suo quicquam definierint spiritu? si quicquam statuerint, quod à Spiritu, interprete sacrarū literarum unico sit

alienum? Si quicquam decreverint, quod Spiritui sancto, qui sese tam potenter, tàm latè undiq; per universum sacræ scirpturæ corpus diffundit, manifestè contradicat? Sanctum quidem & augustum est Ecclesiæ nomen: sancta Patrum auctoritas: veneranda, & summo in honore apud omnes habenda sunt sana concilia: sed sanctius est à quo Ecclesiæ, qui quid auctoritatis illa habet, datur verbũ: sanctior est scripturæ Majestas: sanctior & major est qui Deo debetur, honos. Itaque nunquam Ecclesiæ licuit aliud docere, quàm quod à Domino acceperat. testantur idipsum Prophetæ: testantur idipsum Apostoli: testatur idipsum Christus. Itaq; Augustinus, Patrum Coryphæus, non dubitavit cùm suos, tum omnium Patrum fasces sacrosanctæ verbi divini Dictaturæ submittere. Ego solus, inquit Augustinus, eis libris, qui canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, ut nullum eorum scriptorem errasse firmiter credam: cæteros verò, quantumlibet sanctitate doctrinaquè præpolleant, ita lego, ut non ideò verum credam, quia ipsi sic senserunt, sed si per Canonicas scripturas mihi persuadere potuerint. Itaq; Hilarius perspicuitate verborum aperta, interpretem sacrarum literarum designat eum, qui sensum è scriptura potius efferat, quam in eam inferat. Itaq; Panormitanus affirmat, majorem uni privato, cum scriptura loquenti fideli fidem esse habendam, quàm toti concilio, aut etiam ipsi Papæ, sine scripturarum milite in campum docendi statuendiquè aliquid descendenti.

sciendenti. Quod si vel Prophetæ etiam vel Apostoli Ecclesiæ veræ & concilij titulum gerentes, à Deo sibi ipsis relicti diversum aliquid à Sapientia Dei; cujus beneficio & indicio Patrem videmus; decreverint: sint quidem vates; sed jam quales ÿ fuerunt, qui contra unum fidelem Micham; à cujus solius partibus tum vera stabat Ecclesia; insurgebant quadringenti, totus cœtus ille prophetarum Achab, de quo scriptum extat: Ero spiritus mendax in labÿs omnium prophetarum: sint etiam Apostoli; sed tales, qui perpetuum audiant Christi illud: Vade post me Satana, non enim sapis, quæ Dei sunt: sed tales, de quibus Paulus queritur: istiusmodi, inquiens, Pseudoapostoli operarij dolosi sunt transfigurantes se in Apostolos Christi. Verum enim verò ut IEHOVA Ecclesiam suam, tanquam filiam ex verbo sibi genitam, ad legem & testimonium semper alligatam vult esse: ita viri DEI Prophetæ nihil aliud sonant, nihil aliud tonant, nisi illud: SIC DICIT DOMINVS. Sic veri Apostoli, nisi unicum crucifixum Christum nihil annunciant, in eo solo gloriantur, in eo triumphant, suæquè doctrinæ cum prophetarum eloquÿs conformitatem ad summam nobis probant. Quantus itaque est Ecclesiæ tituli abusus? quanta profanatio? quanta nequitia cum summa amentia conjuncta, clamare, ingeminare, ululare: Hîc est Templum Domini! hîc est templum Domini! & tamen Verbũ Dei, à quo templum Domini verius, quàm à catena Iovis Homerica inferiorum & superio-

superiorum compages corporũ, pendet, procul haberi, profligare, exulatum à se ejicere? Quod si vel Augustinus sacram scripturam humanæ auctoritati subiecisset: aut Hilarius fontis verbi Dei interpretationem ex lacunis hominum hauriendam censuisset: aut Panormitanus unum fidelem Micham, quadringentis impiis & Spiritui sancto contradicentibus purpuratis patribus, Ecclesiæ & concilij titulum præ se ferentibus postposuisset: quod neque ille, neque iste, neq; hic fecerunt: attamen Paulus vas Dei electum Anathematis fulmine vel Angelum de cœlo ferit, si quicunq; aliud Euangelion annunciet, præter id, quod à Paulo fuerat annunciatum. Sint itaq; sancti viri Ecclesiarũ, sint qui conciliis præfuerunt venerandi Patres: sed ita sancti, sed ita venerandi, ut homines eos esse meminerimus, Apostolis atq; Prophetis nec auctoritate nec rerum pondere ne quidẽ comparandos, sed multò magis subjiciendos! eorũq; scripta cum judicio, cum candore legenda esse, ab Augustino edocti, meminerimus, ita, ut primò sententiam veram ex verbo Dei quæramus: deinde si Patres fundamentum retinuerint, candidè eorum dicta ad analogiam fidei interpretemur. Quod si profani & hæretici suos errores sine scriptura ex Patrum tantum dictis stabilire voluerint, sciamus, ex solis libris Canonicis articulos fidei esse probandos: reliquorum verò scripta ita legenda, ut in illis improbare & respuere liceat, quæ cum veritate, canonica non congruant. Iam quàm multa, non dico in Pontificum,

cum, & eorum qui Ecclesiæ titulo superbè abutuntur, traditionib. & decretis; quæ constat è diametro verbo Dei adversari; sed in omnium ferè invenire licet Patrum scriptis, quæ cum fundamento pugnent? Irenæus Chiliastarum sententiam est amplexus. Tertullianus, inter Latinos vetustissimus, non tantum Montani castra est secutus, sed contra Orthodoxos etiam volumina aliquot, semina totius fere Papatus continentia, scripsit. Origenes, vir maximi ingenij, Hieronymi indicio dogmata sparsit venenata, à scripturis aliena, scripturis vim facientia. Cyprianus ob vitæ sanctitatẽ & confessionis constantiam clarus, errorem, quẽ Donatistæ succedentibus temporibus renovarunt, defendit, Montanicisq; deliriis fuit inquinatus. Hilarius nullum fuisse in Christo doloris sensum docuit. Eusebius aperto Marte Arium propugnavit. Basilius Magnus secessui & Monachismo plus quàm satis est tribuit. Hieronymus, ingenij præstantissimi vir, satis scabiosè de conjugio commentatus est. Chrysostomus Pelagianismo patrocinatus est. Augustinus iuvari mortuos viventium suffragiis sensit, de purgatorio medias sententias reliquit: quarum affirmationem deinde Georgius Magnus asseruit, & ex verbo Dei confirmare conatus est. Quæ cum ita sint, quantum quæso flagitium est, quod Pontificij, Papæ suo & ab eo inunctis, infulisq; & lituis insignitis Antistibus, eorumq; Psychotyrannidi & in meritum filij Dei sacrilegio: perpetuis illis gratuitæ remissionis peccatorum hostibus,

Ecclesiæ auctoritatem prætexunt? quod Patrum pudendis retectis, sine judicio sine candore ad expugnandam sacræ scripturæ veritatem, ea quæ à Patribus, aut non satis commodè, aut non satis piè dicta fuerant, rapiunt? adeoq; tàm abominãdæ suæ impietatis, tot curiæ Romanæ impostura rũ, tot Ecclesiæ Romanæ scelerum Patronos Patres constituunt? Sed benè res habet. Neq; enim quã impudenter Ecclesiæ titulo, quàm impudenter Patrũ auctoritate cæterisq; abutuntur, tàm fortiter vicerunt. Anathema enim Pauli sustinere nequaquam poterunt, non; quo illi Synagogæ Romanæ inveterata & purulenta vulnera ad unum lenire, obligare & curare satagunt; tituli Ecclesiæ emplastrum: non à patribus emendicata propugnacula: non synodi, quæ contra sacram scripturam tanta portenta edi statuerunt; non totum traditionum regnum ad promerendam remissionem peccatorum humana auctoritate excogitatum: non Neroniana Pontificum decreta, tàm manifestè scripturam sanctam pro libitu suo ad alienum sensum detorquentia: prohibentia conjugium: truncantia sacramentum Cœnæ: Christum orbe terrarum pellentia: non deniq; titulus ille sine re, liberum arbitrium: quin jam fulmine tacta Paulino eversa atq; prostrata jaceant omnia, & cum fundamẽto cumq; fastigio planissimè perierint. Hoc modo cùm primò ex insidijs in apertum latrocinium Antichristũ Romanum conjecisset Lutherus; conjecto deinde furentiq; audacia de manu ferrũ extorsisset, atq; ingentem illam Babyloni-

cam

cam turrim, caput inter nubila hactenus condentem, invicto animo ex verbo Dei impugnasset, oppugnasset, expugnasset, ita, ut nec in pede, nec in vertice, nec in lateribus quicquam præsidij Romanæ sedi, adversus Lutheranum militem esset: odio adversus Lutherum inexplebili incendit Diabolus omnes, quotquot à nobili illo Babylonico scorto, poculo fornicationis inebriati, Deum ejus Maozim colerent, & venerarentur: quosque tanquam vallum & muros sibi Romana Pontificia Ecclesia circumdederat. Ergò frendere purpurati patres: tumultuari reges: insanire Canonicorum popinæ: indignari sacrificulorũ ventres: ringi monachorum aqualiculi: furere ipse Diabolus. Sed quantò majori audacio fremebat Satan: tantò contrà audentior, bellis assuetus, non bullis terrendus, Lutherus ibat. Evocatusq; Wormatiam sub fide publica, ad prima Caroli V. comitia, etsi in itinere ab amicis monebatur de periculo quod impenderet, tamen non ostendit solùm si tot sciret Diabolos, quot tegulæ Wormatiæ in tectis essent ædium, in se collineasse, nihilominus se ingressurum esse, sed venit etiam Aprilis die 16. Wormatiam, læto & alacri animo, atq; coram imperatore Carolo, & imperij proceribus de caussa sua disertè constanterq; respondit. Quanquam periculo ista Lutheri Wormatiam itio non omninò caruit. Exemplo enim concilij Constantiensis conabantur LEO ejusquè catuli, viri sanguinum, & dolosi, Cæsarem juvenem ad sævitiam in Lutherum inflammare. Sed

æternis

æternis laudibus dignus CAROLVS nec crudelitatis sacrificulorum minister esse voluit, nec pati, ut suo scelere vel Germanici nominis gloria, vel gentis Austriacæ nobilißimæ juxta atq; potentißimæ splendor, domuiq; Cæsareæ innatum clementiæ decus piaculo tàm infando, tàm atroci non servatæ fidei infamia, commacularetur, eivè labes aliqua aspergeretur. Lutherum itaq;, quo Caduceatore Cæsareo Wormaciam deductus erat, eodem, die 26. Aprilis dimissum, domum reduci jubet. Tandem tamen improbis precibus, minisq; adversariorum impudentibus impulsus, Carolus Lutherum die 8. Maij proscribit. Adeò nihil est in speciem fallacius, quàm prava religio, quum Deorum numen prætenditur sceleribus. Cæsari statim allaboravit Papa, fractamq; suam & debilitatam anathematis vim in Lutherum iterum die Cœnæ Domini, qui antecedit Pascha, contulit: Germaniamq; intestinis bellis conquassare omnibus viribus contendit. I nunc Luthere, & disce crabrones irritare! disce Majestatem sedis Romanæ testimonijs, ex verbo Dei adductis, obnubilare: disce magno tuo malo pudenda scorto Babylonico sua in os revelare: disce Monachus Papæ, homo treßis Dei magister esse! Vbi nunc tua, LVThere, præfracta & insolens vox? cùm paullò antè purpurato Patri, ubinam præ rugitu Leonis Papæ recõdere te velles aut posses quærenti respõnderes, sub cœlo? I nunc: terram Cæsar, cœlum Petrus & Paulus, utrumq; Papa tibi abscidit. At tu quisquis es,

terra

terra licet, cœlo tamen nunquam Lutherum ejiciet Papa, quantumvis debacchentur, quantumvis fremant: quantumtumvis seviant. vani sunt isti tumultus: steriles sunt istæ bullæ: inanes sunt istæ omnes adversum Christum minæ.

Tellus ut undis hospitium neget, "
Vndæq; terras fluctibus obruant, "
Aër coruscis fulminet ignibus, "
Ruina mundi sydera misceat: "
Dei potentis non bonitas tamen, "
In rebus arctis destituet pios, "
Purasuè mentes nequitia, sinet "
Mœroris æstu funditùs opprimi. "

Itaq; non est quod Lutherus desperet, non est quod animum abijciat. Vigilat pro Luthero Christus, cujus est terra, & cujus est omnis plenitudo ejus. Vigilat pro Luthero sapientissimus Princeps Fridericus. Ille sub cœlo de loco aliquo prospiciet Luthero: ille providebit de Pathmo, in quam se abscondat Lutherus, donec belli hujus Gigantei nubes detonuerit. Desæuientibus igitur in Lutherum & quasi in necem ejus conspirantibus Regibus terræ, cum facilè prospiceret inclytus princeps Elector Saxoniæ Fridericus, in quanto Lutherus periculo versaretur: nobilibus quibusdam, quorum fides & taciturnitas perspectæ erant, dat negotium de Luthero sub latrocinij specie in arcem Wartpurgũ abducendo. In quo quidem, tanquam ergastulo & carcere

tantùm

tantùm abfuit, ut Spiritus Dei in Luthero aut vinculis coerceri, aut ulla calamitate impendente labefactari potuerit, ut pijs & justis armis adversus eos, qui perpetuò sibi defendendum idolum Babylonicum semel susceperant, & Pontifici Romano instar valli erant & propugnaculi, Lutherum indueret. Itaq; temeritatem illam, qua spe vitæ æternæ inducti falsa, homines imperiti vovebant, quod vel non esset suæ facultatis, vel cum vocatione sua & verbo Dei pugnaret, Lutherus è Pathmo potenter arguit, Ecclesiamq; flagitiosa cælibatus turpitudine, qua jam diu deformata erat, liberare cœpit, & dignitatem conjugio, conjugium hominibus restituit. Tum Maozim illum Deum, quem neq; Prophetæ, neq; Christus, neq; Apostoli noverunt, expugnavit. At quem Maozim? Deum cujus cultus universas ferè mundi opes Romam pertraxerat: quem qui colunt, pro quo qui digladiantur, eos Papa præbendis opimis præmijsq; opulentis cumulat. quo sublato Pontificij non modò non Christianos, sed ne homines quidem futuros se credunt. Illum ipsum Maozim, regni Pontificij nervum, accuratissimis refutationibus editis, ut Alexander Gordium nodum, Lutherus uno verbi divini ictu incidit. Interea magno successu emendata est Ecclesia: exorti sunt complures Evange-
1521. licæ doctrinæ propugnatores: abrogata est Pontificia missa, & loco ejus verus sacrosanctæ Cœnæ usus secundum Christi institutionem introductus est, idq; primùm Witebergæ: unde tanquam ex monte sapientum: quem-

admodum

admodum Doctor Fleck, Monachus, cùm publica concione nuper fundatam Academiam Witebergensem initiasset, futurum prædixerat; ritum Cœnæ Dominicæ verum, atq; sapientiam Evangelij mutuatus est postea totus orbis Christianus. Sed Diabolus ut Apostolorum tempore, ita ea tempestate lucem Evangelij exorientem infusis suis tenebris perturbare non destitit: Carolstadio in ipsis renascentis Ecclesiæ visceribus excitato. Is, delicescente jam circiter decem menses Luthero, tumultuosè multa Witebergæ molitus, ejicere templis imagines: jus Romanum curiis exigere: vastare Scholas: literarum cultum abjicere & ad labores manuum cunctos hortari. Ipse aratrum ducens Doctoris titulum respuere, rustici assumere. atq; utinam mansisset inter rusticos perpetuò condemnatus Carlstadius; nunquam classicum cecinisset funesto illi & civili in Ecclesia Iesu Christi bello sacramentario. Lutherus ergo edoctus à senatu Academiæ Witebergensis, quàm factiosè multa tentaret Carolostadius, instinctu ac impetu planè divino velut ἐνθουσιασμῷ ad gloriam Dei, & Evangelij Christi propagationem inflammatus, ruptis Pathmi claustris Witebergam sexto Martij rediit; motus compescuit: Carolstadium quiescere jussit. Pravo qui cordi bonum canit carmen, idem facit, ac si quis candenti ferro affundat acetum: Verus est & vetus sermo. Sic monitis Lutheri igniculus erronei spiritus, semel in animo Carolostadij conceptus, non sedatus est, sed fotus 1522.

magis

magis: donec non solùm in Anabaptisticarum revelationum fumum, sed in incendium quoq; sacramentarium paulò pòst erumperet. Cœptum est deinde à sacerdotibus iniri conjugium: relicta & deserta non pauca Cœnobia: habitæ disputationes de sacerdotio Christi; dictum est de discrimine Veteris & Novi Testamenti: rejectus impius & Ethnicus error invocationis hominum mortuorum, & monstrata est vera invocatio æterni Dei facienda in fide Filij Dei. Edita est à Luthero germanica Novi testamenti interpretatio: religionisq; Pontificiæ in Lutheranam facta, multis, quæ unquam sunt factæ à Monarchis, regnorum conversionibus insignior, mutatio: frustra frementibus inferorum portis, & navem Christi decumanis fluctibus in profundum mergere undiq; contendentibus. Nihil hîc profecit Adrianus, qui Leoni successerat Pontifex, utcunq; in conventu Procerum Noribergensi, per legatum, animos Germanorum ad seditionem tentaret: Nihil profecerunt inquisitores, pravitatis hæreticæ verè magistri, utcunq; Bruxellis, Zudphanij, Rabæ, Monaci, Coloniæ & passim in Christianos flammis grassarentur. Nihil profecit Ioannes Episcopus Roffensis in Anglia: nihil Ioannes Episcopus Vienensis in Germania: nihil Chlictoveus in Gallia: nihil Quintana in Hispania: nihil Eccius in Bavaria: nihil Mesingus in Marchia: nihil Emserus Æginoceros, nihil Cochleus, nihil alij profecerunt, utcunq; pro Deo suo Maozim tanquam pro aris & focis acerrimè digladia-

1522. Novũ testamentũ à Luthero Germanicè versum prodijt: 20 sept. 1521. Leoni 10. Kal. Dec. mortuo successit Adrianus Belga.

1523.

gladiantes fluctus eosdem in fluminibus quisque suis excitarent, quos Papa in magno orbis mari. Nihil profecerunt omnes. Quin ut Ilex duris tonsa bipennibus, ab ipso ducit opes animumq; ferro: ita Luth. cursum illustrandæ veræ doctrinæ Evangelij & taxandi errores ac superstitiones pontificias inter potentissimorum Europæ Monarcharum adversationes, constanti & ingenti animo & felicitate mirãda perpetuò ursit & confecit. Editi sunt quinq; libri Moysi germanicè traducti: Vindicata est magistratus politici, quam Papa Romanus, pro incomparabili impietate sua, pedibus, plus quàm meretricijs, conculcaverat, majestas. Prodijt omnium affectuum, omnium dolorum Panacæa, liber hymnorum regius, Teutonica donatus civitate. Instituta ministrorum Ecclesiæ, ex more præscriptoq; tùm Christi tùm Apostolorum, ordinatio. Editæ ab Orpheo Germaniæ cantiones sacræ germanicæ, uno apice plus pietatis, plus veri solatij spirantes, quàm universa scholasticorum theologia toto efflat corpore. Edita alia complura scripta, inter quæ tanquam insignis gemma eminet CATECHISMVS PARVVS, qui capita Christianæ Religionis admirabili solertia, brevitate atq; perspicuitate exponit. Iamq; appetebat illustris & memorabilis ille millesimus quingentesimus tricesimus Annus, quo in luce clarissima, frequente senatu Imperij, spectantibus & audientibus cunctis penè nationibus, 25. Iunij exhibita est confessio Latina & Germanica linguis scripta; non quidem à Luthero & 1524. 1530. 25 Iunij Confessio principum protestantiũ

Theologis cum eo consentientibus, sed ab ipsis principibus & civitatibus: IOanne Saxoniæ Electore; GEOrgio Margravio Brädeburgico; ERNesto & FRANciſco fratribus Ducibus Brunovicensibus; PHilippo Haſſiæ Landgravio: FRANciſco Duce Lunæburgenſi: & Olfgango principe Anhaldino; & Legatis Rerumpubl. NOrinbergenſis & Reudlingenſis. Eſtquè non ſolum exhibita, ſed etiam publicè per Electoris Saxoniæ Cancellarium recitata & prælecta iſta confeßio in Cæſaris palatio, voce clara & plena, ut exaudiri à cunctis poſſet, ſpatioque duarum horarum abſoluta. O præclaram lucem & principem uniuerſæ ſalutis Evangelicæ! ò honeſtiſſimum diem, omnium voce, omnium literis ad poſteritatis æternam memoriam commendandum! O Vos heroas! O fortia pectora! O verè vos principes! qui non in angulo aliquo provinciæ recondito ac derelicto, ſed, in Germania Germaniæ, Auguſtæ Vindelicorum: non inter domeſticos parietes, ſed in Caroli V. totiuſque orbis terrarum conſpectu: non in latrunculorum conciliabulo, ſed in totius ſacri Germanici imperij ſenatu, tàm ampliſſimo, tàm auguſtiſſimo, tanta majeſtate circumfulgente: ad educendum ex orbe Germanico, ad extinguendum ex hominum pectoribus, ad delendum ex omnium Germanorum memoria, non modo tàm adultam reipublic. Chriſtianæ peſtem, verùm etiam ſtirpem ac ſemen omnis in Germania diſſenſionis, omnium in toto orbe malorum

Papam

Papam, classicum cecinistis, arma è penetralibus sacræ scripturæ refixa cepistis, clypeum salutis sumsistis, gladium S. sancti strinxistis, nihil nec insolentiam laborum, nec diversas hominum exspectationes, nec præsens periculum pertimescentes! O vos heroas! O pectora fortia! O verè vos principes! Vos confessione vestra Dei gloriam liberali causa quasi manu asseruistis: Vos Christi honorem ab humanarum traditionum impetu vindicastis: Vos Evangelicæ doctrinæ professores liberastis mendaciorũ illa mole, quæ ad Cæsarẽ erant flagitiosè delata, per universam terram malitiosè sparsa, in multorum animos crudeliter disseminata; quasi neq; Ecclesia, neq; sacramenta, neque cultus Dei ullus, neq; conjugium apud Lutheranos esset. Vestra animorum excelsa magnitudo, vobis pacem, Evangelio liberum cursum; idquè Archiepiscopo Moguntino & Ludoico Palatino laudatissimis principibus curantibus; paulò post à Cæsare impetravit: eadem insolentes Pontificiorum minas compescuit: meretricis Babylonicæ pinnas incidit: bestiam bicornem scelus anhelantem, pestem bonis molientem, vobis atq; religioni ferrum flammamquè minitantem ex patria nostra emisit, ciecit, profligavit. Iacet ille, jacet ille Pontifex Romanus nunc prostratus, Principes, & se perculsum atque abjectum sentit, & retorquet oculos profectò sæpè ad Germaniam, quam ex suis faucibus penè ereptam esse luget. Quæ quidem, quod tantam pestem evomuerit foraſquè projecerit,

lætari mihi & cùm vobis tùm Luthero gratias ita agere videtur: Nullum jam tot secula facinus extitit, nisi per Papam: nullum flagitium sine purpuratis patribus. Papæ uni Hußi, Hieronymi Pragensis atq; tot piorum neces; Papæ vexatio direptioquè totius orbis terrarum impunita fuit ac libera: Papa non solùm ad negligendam sacram scripturam & omnem honestatem, omnemquè magistratus majestatem, verùm etiam ad evertendam, perstringendam conculcandamquè valuit. Propter Papam unum ego tot annos fui in metu: quicquid increparet, Papam timui: nullum sensi contra me consilium tot annos iniri potuisse, quod à Papæ scelere abhorruisset. A quo monstro atque prodigio Ecclesiam, vitamquè omnium meorum civium, bonà, fortunas, animas, atq; hoc domicilium Germanici imperij pulcerrimum, Dei ter Optimi Maximi summo erga me amore: laboribus, consiliis, periculis, precibusquè tùm, Principes, vestris, tum Magne Luthere tuis, conservata restitutaq; video. Deo enim & vobis religionem inculpatam debeo: Deo & vobis liberatem Christianam acceptam fero. In ære Dei & vestrûm sum tota: qui meis templis, meis delubris, meis tectis, subjectos jam Pontificiæ libidinis ignes circumdatosque restinxistis: qui gladios traditionum humanarum in civium memorum animas districtos retudistis: qui mucrones totius abominationis pontificiæ à jugulis ipsorũ reiecistis. Quam vestram hanc clementiam, quam vestram benignitatem tàm immensam,

mensam, tam penè infinitam quibus modis efferam? quibus tollam laudibus? quibus verbis ornem? Minorem me agnosco, ô Deus! cunctis beneficiis, quæ in me civesq; meos servos tuos, cumulatè contuliſti! imparem me fateor, ô Divi Principes, ô Magne Luthere, quam ut pro veſtris immortalibus in me meritis gratias vobis pares agere poſsim! Et tamen, ô Deus! vitulos labiorum meorum non deſpicies, quos tibi grata mente lubens volens q; macto. Et tamen, ô divi principes! ô Magne Luthere! vobis triumphum, ob res in Eccleſia proſperè & feliciter geſtas, jam pridem à me decretum, clamo, proclamo; clamabo, proclamabo;

In freta dum fluvij current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt, convexa polus dum ſydera paſcet.

Sic, ut dixi, GERMANIA *videtur immortales gratias agere vobis, ô Divi Principes! ô Magne Luthere! quibus nos quoq; non inviti nec ingrati, atq; ne utinã unquam ingrati! poſteri ob ciues Eccleſiæ ſervatos immortalitatis ſuſpendimus coronam. Atq; hoc modo longè latèq; propagatum Evangelium dijunctiſsimas etiã terras peragrabat: externaq; omnia, Principum virtute & Lutheri precibus pacata aliquantiſper conſtiebant. Domeſtici belli incendium jam non ſolum gliſcebat, ſed etiam flagrabat. intus enim incluſum erat erat periculum: intus inſidiæ erant: intus erat hoſtis incluſus, pientus in venis atq; viſcerib. Eccleſiæ reformatæ. Cum ſed Diaboli Anabaptiſtica, cum furore ruſtico-*

1525. bellum ſacramẽtariũ erupit Ducib. Carolo-ſtadio, Zvvinglio & rum

& Oc-rum, cum temeritate Zvvinglij tam pridem erat cer-
colam tandum. Illius quidē & istorum improbitati, nequitiæ,
padio. libidini, seditioni fatum pede non remorante debitas
quo intulit pœnas. Bellum autem Sacramentarium ut hor-
anno rendum & luctuosum, ita magnam inflixit Ecclesiæ
seditio reformatæ plagam, Pontificiis verò materiā & segetem
Rusti- convicioru & insectationum præbuit. Et quis est belli
corum istius finis? quod tanta cùm animorum acerbitate, tā-
to cum impetu à quibusdam geritur, ut quod hìc dolere
possis habeas; quid de tam atroci digladiantium confli-
ctu dicere possis, non habeas. Quis talia fando temperet
à gemitu? aut etiam à lacrumis? sacrosanctū Ecclesiæ
vinculum factum esse sapientia quorundam hominum,
dissidij & animorum inter se alienandorum tesseram?
pacem illā animarum nostrarum, factam esse pomum
Eridos? fontem illum omnis consolationis, improba
quorundam sagacitate, traductum eße proh dolor! in
stagnum, unde perpetuæ lites, perpetuæ dissensiones,
perpetua jurgia exhalant? Hæc tàm atrocia, quæ par-
tim prævidebat Lutherus, cum artus & membra pij
Viri tanquam pabulum quoddam ignis, depasta sunt:
1527. tùm Lutherum coegerunt pro immobili τὸ ῥητὸ ver-
borum Cœnæ fundamento: pro spirituali non minus
quam orali corporis & sanguinis Christi tàm indigno-
num, quam dignorum manducatione accerrimè pu-
gnare. Standum sanè aliqui censebant tanquam in orbe
aliquo reipubl. Christianæ, qui quoniam versatur,
eam eligendam existimabant partem, ad quam eos

piorum

piorum utilitas communis, salus q3 converteret politica. Itaq3 non defuerunt, qui omnes inirent vias reconciliationis & fraternæ cujusdam Zvvinglianorum cum Luthero reconciliationis: qua tanquam propugnaculo quodam adversus insultantes Pontificiorum machinas Ecclesia reformata niteretur, & tuta esset. Quam quidem Lutherus quoq3 non fuit adeò adversatus, quin vulnera à Carlstato Ecclesiæ, tam tenellulæ graviter inflicta, sanata & consolidata ex animo cuperet. Neque enim existimandus est Lutherus degenerasse ab eo, quem unicum fovebat, quem in corde unicũ habebat, quem vnicum amplexabatur, IESV CHRISTO: aut mansuetudinis spiritu abjecto, in belvam quandam immanem abijsse. Non inquam. Nam quod in bicornem Romanam bestiam tanta verborum gravitate insurrexit, quod tanta spiritus vehementia sævijt, quod in artibus Romanis exagitandis ampullatus est Lutherus: id non abest solum à reprehensione omni, sed laude etiam omni & gloria sempiterna est dignum. Necessarium enim erat facere, ut quæ Pontifex Romanus impiè, quæ libidinosè, quæ nefariè, quæ crudeliter fecerat, ea æquè acerba & indigna viderentur ijs, qui audirent, atque illis visa sunt qui senserunt. dicenda, demonstranda, explicanda erant omnia. non solum ostendenda, sed etiam graviter copiosèque agenda erant omnia. Itaq3 non sapiunt ista, non sapiunt reliqua, quibus Elias noster, non gladij tamen, quemadmodum Thesbi- 1522.

ties, & quemadmodum digni fuissent Baalitæ Romani, sed verbi divini aciem applicuisse cervicibus hostium IESV CHRISTI visus est: ista, inquam non sapiunt Spiritum turbulentum. Sed erat Lutherus, si quisquam alius, pacis studiosissimus. Erat ille coadunationis membrorum in Ecclesia reformata laceratorum, si quisquam alius, cupidissimus. Testantur id dicta & facta Lutheri, contra Monetarium, contra Rusticos, contra Anabaptistas, contra cæteros, qui vi religionem Christianam propagatam cupiebant. Testatur con-
1529. cordia illa cum Zvvinglianis aliquando suscepta. Verùm enimverò sic pacem colebat, ut Deum potiorem pace duceret: sic concordiam cupiebat, ut Christi testamentum nulli humanæ concordiæ cedere existimaret. Hic igitur mihi quis flagellet Lutherum, hic Lutheromastyx aliquis Luthero insultet. Audiat Lutherus crabro: audiat inquies: audiat flabella: audiat, nescio quæ, cætera: modò reformator audiat Ecclesiæ: modò audiat τῦ ἐγτῦ in cœnâ propugnator: modò audiat gloriæ & Majestatis hominis Christi assertor. Ignosce mihi, Magnifice Rector, gravius adversus homines illos dicturo: ignoscite vos cæteri: ignoscite vos quicunq; estis Christiani. atq; ita, quod facitis, statuite, ita deliberatum habete, ita optate: Stet in cujusq; Lutherani fronte scriptum, quid de Religione sentiat. Itaq; fremat licet Zvvinglius, dicam quod res est. Fecit tuum, Zvvingli, in filium Dei singulare magisterium, & verborum Filij Dei in Cœna ad tuum sensum

sensum à sensu Christi desiexio, ut, quemadmodum ovibus lupos, equis gryphos, columbis miluios geminare est haud proclive: sic Lutherus tibi jungi nec voluerit nec potuerit: imò coram toto mundo testatus sit, se malle centies uncis discerpi, aut igne comburi, quàm vel tecum & cum Carlstadio, & Oecolampadio & id genus alijs mente consentire, vel doctrinam vestram approbare. Ignosce mihi Magnifice Rector, ignoscite vos cæteri, ignoscite quicunq; Christiani estis. Iustus hæc à me extorquet dolor, quem mihi Lavaterus attulit; qui cùm initio suæ historiæ testatus esset, Zvvinglium, cùm jam quinquennium abusus & errores, qui sub Papatu in Ecclesiam irrepserant, Tigurì oppugnarat, anno gratiæ 1524. ad Lutherum scripsisse, se non ambitione, curiositate, petulantia aut fiducia ingenij, sed fide & auctoritate scripturæ adactum sententiam suam de Cœna mutasse: cùm hæc, inquam, initio suæ historiæ testatus esset, tamen processu operis non obscurè indicat, Lutherum pacem Ecclesiæ reformatæ priorem turbasse, & contentiones ac turbas disseminasse, quæ non nisi ruina mundi extirpari possint. Hoc est alapam Christo dare, & quærere à quo vapulaverit! Sed benè habet. Is est mos consenescendi in aulis, injurias accipere, & pro ijs gratias agere. Gratias itaq; tibi, Zvvingli, agimus, quod te à Luthero priorem defecisse ipse testaris. Gratias agimus tibi, Lavatere, quod defectionem istam Zvvinglij tui à Luthero publicis literarum monumentis testatam feceris:

majore candore præditi uterq; quàm illi ipsi, qui cùm sciant, qui cum teneant, qui cum digitis calleant, quantum distat summum cœlum ab ima terra, tantùm Lutheri, &, quam isti defendunt, Zvvinglij sententiam de Cœna inter se distare; atq; idcircò à Zvvinglio ejusq; fautoribus conscriptam fuisse non ignorent peculiarem fidei confessionem, SECVS; Lavateri verbis utor; quàm Elector Saxo atq; socij ejus de Cœna Domini sentientem; impunè tamen se Augustanæ Confessionis auctores, defensores, propagatores esse gloriantur. Sed jam finem vitæ Lutheri, qui idem erit orationis hujus meæ, prospicio. Cum itaq; hoc modo Antichristum in lucem protraxisset LVTHERVS: cùm sacram scripturam postliminio quasi in patriam veram Ecclesiam reduxisset: cùm ejusdem sacræ scripturæ arietibus non solùm turrim Babylonicam oppugnasset, sed ejus etiam fastigium dejecisset, fundamentum emovisset, tibicines fregisset, muros & vallos disiecisset, adeoq; Papam ex Saxonico orbe profligasset: cumq; idem Ecclesiam multos annos rexisset, tùm bonas mentes de præcipuis articulis doctrinæ Christianæ erudiendo: tàm multos, & pernicioſos hominibus errores refutando: tùm prophetica & Apostolica scripta dextrè enarrando: cùm deniq; totius orbis Christiani impetum in bella civilia ruentis sustinuisset precibus: tandem, non tàm ab externo hoste, quàm interno inflictis vulneribus exantlatus, periculis corpus fractus, laboribus animum exhaustus: inter preces, qui-

ces, quibus Christo Ecclesiam & animulam suam commendabat, ardentissimas: plenus spiritu, plenus fide, plenus spe, placidè, in dulcissimorum; quos ei Catharina à Boren, legitimo matrimonio juncta Femina nobilis atq; pia, pepererat; filiorum Martini & Pauli complexu, & inter propinquorum piorumq; complurium suspiria hoc eodem Concordiæ & Constantiæ die Deo animam reddidit, in ea quæ ipsum nascentem excepérat Vrbe. Vir planè divinus, quem ad opus reformationis Evangelij tàm arduum natura genuisse videtur: scribendi meditandiq; studium exercuit, Deus certè excitavit, servavit. Vir, cujus mores congruebant cum vita docentis, videbaturq; oratio non in labris nasci sed in pectore: cujus mens divina luce gubernata est, ut semper sui muneris memor, intra vocationis metas se continuerit. Vir cujus scripta; ut Iohannes Fridericus Elector Saxo, Iesu Christi confessor & martyr, dicere solitus est; hoc habent proprium, ut penetrent corda, & afficiant intimas medullas, relinquantque aculeos in pectoribus legentium: Vir, cujus labor in vertendis in Germanicam linguam Veteris & Novi Testamenti libris utilitate & operis magnitudine omnia ipsius scripta & facta æquat; qui Germanicam linguam & exornavit plurimum, & ad magnitudinem crescentis Evangelij amplificavit: Vir Dei honoris amans, vitæ suæ propter Deum prodigus: à plausu hominum inanium alienus, CHRISTI gratiæ & favoris studiosissimus; vir bonus, & qui se hominem esse meminerat.

1546. obijt Martinus Luth. die 18. Feb. ætatis 63.

de quo

de quo an miracula ediderit noli quærere. tantum cogita quid vel ille scripserit:

Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantò illa est major Lutherus, major & isto,
Illã atq; istũ VNO QVI DOMVIT CALAMO.

Hæc cogita, & de miraculis desine quærere. Ergò nunc Lutherus illius, quem constanter & intrepidè coram Cæsare, coram Papa, coram toto mundo confessus est, IESV CHRISTI conspectu fruitur, & in cœlesti sapientum monte, Filium DEI docentem audit, & miserrimum, quem moribundus reliquerat Ecclesiæ statum precibus suis Deo commendat: securus conviciorum, quibus, tanquàm Leoni mortuo asini & lepores olim: ita Theandro Luthero homunculi quidam nunc insultant. Eò enim dementiæ pervenerunt hæc tẽpora, ut in vellicandis & indignissimè carpendis Lutheri laboribus, plus quam Herculeis, nullus sit modus, nullus finis: nihilq; nunc quorundam palato minus sapiat, quam quæ Lutherus scripsit. Nos verò, grati Lutheri discipuli, opera Lutheri meritò suspicimus, amamus, & nocturna diurnaq; manu versãda judicamus. Et in his non tam ipsum virum, quam beneficia Dei, per hoc electissimum Spiritus sancti organum in totum orbem Christianum collata, admiramur, in ore habemus, deprædicamus. Etenim quod genus vitæ est, in quod aspicias, ubi non occurrant beneficia,

cia, quæ DEVS nobis per Lutherum præstitit? Ecclesiam aspice; quod abolitis impiis sacris, Lex & Euangelion, hoc est, universa doctrina ad salutē necessaria, verè explicantur, quod sacramenta administrantur, quòd nomen Dei verè invocatur, quod Psalmi utiliter cantantur; an non beneficium Dei est per Lutherum, invitis & repugnantibus omnibus Pontificibus, totaq; Monachorū colluvie adversante in nos collatum? Scholas aspice, quod in illis, abiectis impuris & impiis sophistarum somniis, sacra scriptura, ad quam rectè cognoscendam omnia studia nostra referenda sunt, purè & sincerè traditur; annon debemus auctori Deo per ministerium Megalandri Lutheri? Politiam aspice; quod bona conscientia leges administrare, quod gladium gestare possis, an non acceptum ferendum est ei doctrinæ, quam de politico magistratu illustravit Lutherus? Oeconomiam mihi aspice, quid non in ea molestiæ, quid perturbationis animi contingeret tibi, vel ex mercatura, vel aliis domesticis operibus non tantum servilibus, sed etiam paulo liberalibus, si non ea doctrina, quam fidelis Christi servus Lutherus magna dexteritate exposuit, eruditus fueris? Deniq; aspice sive nostra publica sive privata, versabūtur ubiq; ante oculos beneficia, quibus Filius Dei per Lutherum clemēter nos affecit. Hæc meritò hoc die anniversario, quos non adeò pudet nominis LVTHERI, consideramus, in his donis Dei magnificè nos efferimus, in his exultamus, in his triumphamus; & verè Iubilæum annum hunc, effusis,

fusis, non ad divi Petri atq; Pauli sepulchra, sed ad propitiatorium nostrum Iesum Christum cum gratiarum actione, pro ministerio Lutheri precibus claudimus; & simul memoriâ veterem Ecclesiæ sub Papatu statum repetentes, & ex eo quantum ad propugnandũ & conservandum verbum Dei præsidij sit in linguarum & artium cultura, tanquam boni officiorum ratiocinatores colligentes, statuimus æquum esse, nos ita comparemus, ut hæc literarum studia; quæ adolescentiam alunt, secundas res ornant, senectutem oblectant; amemus & colamus: nec sophistices & rixarum studiosi veritatem tenebris iterum, Pontificijs etiam densioribus involuendam prodamus. Tu Fili Dei, quem piarum Academiarum Rectorem, & Episcopum Ecclesiæ tuæ, & Principem patremq; Patriæ verè nominamus, miserere Ecclesiæ tuæ: serva inter nos doctrinam tuam, cujus Evangelistam tu Lutherum esse hac postrema mundi senecta voluisti. Rege & doce docentes & discentes in Ecclesiis & Scholis te rectè colentibus. Rege & tuere patronos & nutritios Ecclesiarum & Scholarum, cùm Christianos omnes, tùm illustrissimos Principes nostros & universum ordinem Politicum: Papam & ejus socios à tuis aris, Turcam immanissimum hostem à templis, à nostris mœnibus, à vita fortunisq; Christianorum omnium arcebis: & omnes inimicos Ecclesiæ tuæ, hostes piorum, latrones animarum, scelerum fœdere inter se ac nefaria societate conjunctos, æternis, nisi resipuerint, supplicijs vivos mortuosq; mactabis.

ORATIO TERTIA
DE BONO DILIGENTIÆ.

IN OMNI RE, AVDITORES, diligentia & Assiduitas commendatur, maximamq; semper invenit laudem. Hæc enim sola ferè & unica est, quæ res absconditas investigat, latentes eruit, obscuras illustrat, &, ut Poëta inquit, omnia conando vincit: facitq; adeò, ut id, quod sub manu negotium est, rectè succedat. Imprimis verò in honestarum artium studio cura & attentio animi, vigilantia & Labor requiruntur. Vt enim Imperatorem, sic virtutis & Eruditionis studiosum decet, μηδὲν αὐτοσχεδιάζοντα πεάτ]ειν, nihil obiter, nihil oscitanter, nihil negligenter facere: sed tempus adhibere & diligentiam, omninoq; cavere, ut ne ullam benè agendi occasionem dimittat. Hæc præcipuè virtus colenda est nobis: hæc semper in omnibus officij nostri partibus adhibenda: ad hanc animus noster, ut plurimum à Labore ad desidiam proclivis, nunquam non excitandus est & erigendus, cum præceptis tùm exemplis eorum, qui rem suam in studiorum cursu sobriè atq;

pronũtiata est 28. Iun. 1598.

atq; diligenter accuraverunt. Quæ cum ita sint, non alienum, neq; abs re facturum me existimabam, si de DILIGENTIA apud vos in hoc tempore aliquid dicerem: non quidem, ut hujus virtutis præcepta, quibus vos cumulatos esse scio, traderem: aut rationes explicarem, quibus ad tàm præclaram & nostro ordini necessariam Virtutem vos invitarem: sed ut Exemplum Assiduitatis ex Antiquitate aliquod repeterem, illudq; in hujus prælectionis Exordio more & instituto Academiæ in medium adferrem, & hac voce mea in hoc consessu tractarem. Cogitanti autem mihi de optimo & præstantissimo quodam, quod ad imitandum vel maximè propositum esse posset, exemplo, occurrit CICERO, summus ille omnis Romanæ Eloquentiæ parens & Magister. Sive enim pueritiam illius spectes, sive ad togam oculos animumq; convertas: sive virilem ejus ætatem aut extremum vitæ actum cogitatione percurras: TOTA CICERONIS VITA, tota nihil aliud EST, quàm SEMPITERNA cùm in Reipub. gubernatione, tùm in erudita otij exercitatione DILIGENTIA & industria. De hac Ciceronis in studijs diligentia & Industria hoc loco dicam. Quod ut rectius facere possim, ipsam Ciceronis vitam juxta partes, quas dixi, Pueritiæ, Adolescentiæ, Virilitatis, Senectutis vobis considerandam spectandamq; proponam. Vos quæso, ut mihi res gravissimas, & ad vitæ studiorumq; institutionem, quemadmodum spero optoq;, utilissimas, brevi Oratione comprehendere meditanti,

meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. Atq; ut de Ciceronis PVERITIA primò dicam, statim atq; ingredi & articulatius loqui cœpit Cicero noster, documenta dedit industriæ; jamq; tùm, quantus in ipso virtutis atq; Eruditionis paulò post futurus esset ardor, certis indicijs ostendit. Est enim vis quædam mentibus hominum divinitus ingenerata, latentq; in ingenijs nostris semina, quæ in primis annis quasi flores quosdam edunt, præmonstrantes & quasi prænuncientes, qualis quisq; futurus sit, num, ut Aristotelis verbis utar, ὀξὺς καὶ στάσιμος, hoc est, acutus & stabilis, an verò μανικὸς καὶ νωθρὸς hoc est, furiosus & stupidus. Vt igitur igniculus quidam in Cicerone puero eluxit, qui ostendit, qua ille anima esset præditus, non quidem, ut cum Platone loquamur, plumbea, neq; etiam argentea, sed undiq; aurea: ita hunc igniculum in infirma illa ineuntis filij ætatulæ teneritate excitavit & fovit pater M. Tullius ex regia Tulliorum familia ortus, & qui ipse totam ferè ætatem in literis agebat. Hujus, inquam, patris exemplo, adhortatione, consilio, institutione Cicero filius literas, quas puer jam & penè infans amabat, majori etiam studio, adultior factus, prosequi cepit. Multum enim, imò plurimum interest, quos quisq; domi audiat, quibus cum à puero conversetur, quos sibi intra privatos parietes conjunctos habeat, à quorum ut latere, ita exemplo nunquam discedat. Vt in re rustica non satis est, teipsum esse bonæ terræ bonum colonum, sed magni refert, cujusmodi

vicinum habeas: ita non satis est, si bona indole ipse sis præditus, sed refert, quæ à puero domestica etiã exempla ob oculos proposita habeas. Laudandus igitur est Cicero pater, qui filiolo suo bono exemplo ipse præluxit, amorẽq́, quem semel erga literas Natura Duce Filiolus cõceperat, in ipso auxit, suisq́, laudatissimis ἀπομιμήσεις majorem etiam fecit. Contrà quod plerosq́ Parentes hoc perversissimo seculo facere videas. Haud enim pauci bonas literas ita oderunt, illisq́ usq́ eò inimici sunt, ut si filijs à politiorum disciplinarum studio abstrahendis, omnem planè ingenuarum artium, qui usquam existit, amorem extinguere possent, id quantũ in ipsis est, sedulò præstarent. Sed ad Ciceronem nostrum redeamus. qui literati sermonis elementa, quæ arte nõdum poterat, consuetudine domestica hactenus didicit, in eoq́ ceu signum quoddam benè de industria sua sperandi parẽtibus sustulit. Ab his initijs profectus Cicero noster, cum appropinquaret id tẽpus, quo solemus pueros Magistris erudiendos dare, in scholam à patre ad Græcæ linguæ culturã deductus est. Quia enim Latinæ literæ Romanis erant domesticæ, græcæ externæ: ideò eorum Filij græcis prius quàm Latinis literis erudiri solebant. Quanquam & alia hujus consilij fuit & quidem gravior ratio. Etenim præclarè Romani sentiebant, cùm magnũm vim magnumq́ momentum positum esse in Philosophia ad conservandas, bonisq́ omnibus cumulandas resp: tùm earum artium, quas Philosophia continet, monumenta literis græcis comprehensa esse.

esse. Quare, utcunq; in id operã omnem contulisse videantur, ut πολυγλωττίαν unà cum Imperiò è medio tollerent, & ad suam populiq; Majestatem uni linguæ Latinæ, domi foriscq; suos assuefacerent: tamen negari non potest, illos ipsos linguæ Græcæ culturam nequaquam abjeciss̃e, sed tanquam omniũ laudatissimarũ artium, ad benè beateq; vivendũ necessariarum, thesaurũ semper magni feciss̃e, & in eo studio suos liberos ita instituisse curasse, ut, si voluissent, pleriq; eorũ cum Græcis ipsis certamen de eo laudis & gloriæ suscipere potuissent. Quid de nobis dicemus, Auditores? Ipsi circumspicite, & oculos animumq; in quorundã institutionem conijcite! deprehendetis profectò: linguas, quæ sunt illa omniũ divinarum atq; humanarũ rerum quasi sacraria, contaminari, & tanquam Peregrinitatis corticem aliquem, ac putamina à multis abijci & tantũ non pedibus conculcari. O rem turpem! ô exitium! ô Religionis, legum, medicinæ, omniq; Humanitatis pestem! Quis talia fando temperet à dolore, Auditores? Contemni linguas! jacere tàm necessaria & propè divina vitæ humanæ adminicula! Quid, obsecro, illi linguarũ contemtores Deo, quid Religioni, quid honestioribus Ethnicis, quid Ciceroni patri ōlim respondebunt? An non hic in gloriosa illa omnium restitutionis die eos accusabit, & hac aut simili voce condemnabit? Ego qui filium meum ad Remp. solummodò natum mihi persuadebam, ijs tamen artibus à primis annis institui curavi, quæ ad conservandas civitates &

immortalitatem nominis facere nobis putabantur: cumq; eas artes non sine græcæ literaturæ cognitione quemquam adipiſci poſſe ſciebam, in eam ego filium viam deduxi, ubi ita græcè diſceret, ut in ea lingua aliquid operæ precium facere poſſet. Vos, qui religionem à Chriſto & Apoſtolis ejus traditam, literis græcis deſcriptam habuiſtis; qui quantum ad corrumpendam veſtræ Religionis veritatem in barbarie & linguarum contemtu virium ſit à Patribus veſtris edocti ſcire potuiſtis: qui quantum ornamenti ſit & ad omnem vitam in literarum cognitione præſidij, tot veſtras aures monitis quotidiè circumſonantibus, non ignoraſtis: tanta tamen vos tenuit & tàm profligata oſcitantia, ut ne quidem reſpicere penſi duxeritis ad eam rem, quæ quaſi janua vobis eſſe poterat, aditum ad graviſſimarum in omni diſciplinarum genere controverſiarum dijudicationem, patefaciens, & qua, tanquam faſcijs, doctrina de Chriſto involuta & alia inſtrumenta & ornamenta vitæ præclarè continebantur. Hoc modo procul dubio contemtores linguarum Cicero olim accuſabit. Sed longius ac volebam provectum me intelligo. Itaq; Cicero pater Filium græcis literis ſtatim à puero ſic inſtituit, cumq; hujus rei cauſa in ludum literarium publicum miſit. Semper enim cùm his, à quibus Clariſſimarum civitatum mores ſunt inſtituti, tùm eminentiſſimis auctoribus placuit, ut frequentia ſcholarum & velut publicis præceptoribus traderentur pueri ſtudentes potius, quàm ut domi atq; intra privatos

parietes

parietes continerentur. Testantur id Lycurgi apud Lacedæmonios institutа: testantur id Solonis in repub. Athenienſium leges; quibus cautum fuit, ut ἀθροσι, hoc est, cœtu quodam pueri in publicum ludum intrarent. Quàm autem idem Platoni placuerit, ſi nuſquam aliunde, vel hinc certè apparet, quod infantes quoq; à nutricibus in certum locum, quaſi ludum, per ſingulas tribus deferendos cenſeat. Quanquam, ut Quintilianus inquit, nec hoc diſſimulari poteſt, ſemper fuiſſe, qui ab hoc propè publico more, privata quadam perſuaſione diſſenſerint: quibus meritò ſuum pulcrum relinquimus. In ſcholam autem ad græcæ linguæ omniſq; humanitatis mercaturam deductus Cicero noſter non cuivis de plebe pædagogulo eſt commiſſus, ſed ad hanc primam inſtitutionem ipſi à Patre, ſummo ſtudio ſummaq; cura, quæſiti ſunt MAGISTRI, viri innocentia vitæ, morum probitate, rerum peritia præſtantes. Nempè à prima inſtitutione tota Hominis vita pendet: nec niſi privata rectè adminiſtrentur ſperandum eſt, Res communes firmitatem aliquam in Legibus habituras. Quare, quicunq; rebus tàm publicis quàm privatis optimè conſultum cupit, eum ante omnia oportet pueritiæ Liberorum habere rationem. Sed magna res eſt hæc, de qua dico; eaq; difficilis, & plena timoris. In Plantis facillimum eſt illis, qui terram colunt, præparare quidem omnia antequam plantent, & ipſa etiam plantatio: poſtquàm verò, quod plantatum eſt, vivit, tunc cultus ipſius

varius est, & arduus. Idem in hominibus fieri videtur, ut plantatio facilis sit, educatio autem multis cum difficultatibus conflictetur. Educationis tamen filij fundamentum præclarum jecisse existimandus est is pater, qui id beneficio quodam divino consecutus est, ut filium tenellum Præceptoribus Bonis committere possit. Vix enim fieri potest, ut pater aliquis, etiam doctissimus, in tàm multiplicibus vel officij, vel interpellationum, vel Oeconomiæ, vel etiam συρῆς, vel aliis sive negotiis sive impedimentis ipse filij sui institutionem rectè queat suscipere. Sed præceptoribus bonis & doctis tenellam ætatulam erudiendam concredere nos oportet, non mancipiis, non barbaris, non insulsis, non adulatoribus, non sceleribus inquinatis corrumpendam tradere. NVLLIVS cadaveris tàm pernicioſus est fœtor, nec tàm citò olentium nares inficit, quàm pueri animum, pravi & malè sibi conscij præceptoris mores. Et ut maximi medici minores quoq; morbos optimè sanant: ita doctissimi præceptores minima optimè docent. Itaq; Demodocus Platonicus filium studio sapientiæ accensum, ad Socratem ducit. Aristoteles Platoni se committit instituendum. & ipsum Aristotelem Philippus Macedoniæ Rex filio Alexandro, qui ex rebus præclarè gestis Magni cognomen postea invenit, præceptorem præfecit. qua quidem in re admiratione plenum est Philippi patris studium & de filij educatione sollicitudo: quod quam primum in lucem filius editus esset, ad Aristotelem scriberet, se gaudere

non

non tàm quod natus esset filius, quàm quod vivente Aristotele natus esset. Quò magis eorum aversemur Parentum institutum, qui vel quadã imperitia in trãsversum acti, vel adulatorum palpis deliniti, vel amicorum precibus inducti, vel denique avaritia compulsi liberis suis indoctos & improbos nullius q; precij homines præficiunt. Cratetem illum antiquum dixisse refert Plutarchus, quod, si fieri posset, conscenso altissimo urbis suæ loco, exclamaturus esset: HOMINES quò RVITIS? qui in pecunijs parandis omnem operam ponitis, liberorum verò, quibus vestras pecunias relicturi estis, exiguam curam habetis? Quid si Crates ille nunc revivisceret, quanta eum tonaturum putes, conspecta tanta parentum, naves suas non nisi peritis gubernatoribus; filios autem indoctis præceptoribus comittentium, perversitate? Longè rectius fecit Cicero pater, qui ut tenellæ filioli pueritiæ optimos juxta atque præstantissimos juventutis formandæ artifices conduceret, nulli operæ, nulli labori, nullis sumtibus pepercit. Tanta autem Ciceronis nostri in hoc primo studiorum cursu fuit diligentia, tanta industria, ut propè miraculo fuerit, non solum condiscipulis, qui Ciceronem, tanquam Regem aliquem, in scholam deducere, & inde domum reducere sunt soliti, sed aliis etiam, quos fama industriæ ad videndum hunc tàm admirabilem pucrum ex agris in urbem, ex curia in ludum attraxit. Non negem,

Ciceronis nostri ingenium ad has famæ & gloriæ primitias multum contulisse: Sed tamen neque hoc negari potest, Naturæ etiam ferè divinitatem, & ipsam Institutionem sine exercitatione nihilo magis ad virtutem & Eruditionem valere, quàm Ager fecundus ad fertilitatem potest sine diligenti & assidua cultura. Omninò hæc tria, Natura, Doctrina, Exercitatio πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν, ut Plutarchus loquitur, inter se sunt colligata: sed ita colligata, ut Industria & diligentia naturam, non tantum mediocrem acuere, sed pravam etiam corrigere possit: Natura autem sine Exercitatione parum aut nihil efficiat. Imò non secus ut Terra, quò fecundior fuerit, eò deterior evadit, si ei cultura non adhibeatur: at ut aspera diligenti cultu redditur ferax & fructuosa: sic quò quis est natura generosior, eò pejor evadit, nisi naturam quàm diligentissimè excolat: contra qui non Bono Ingenio præditi sunt, in his Exercitatio legitima ad Virtutem resarcit & corrigit defectum seu vitium Naturæ. Ad eò expedita & efficax res est diligentia & Labor! Dixi de Pueritia Ciceronis. Nunc ad ejus ADOLESCENTIAM: in qua non minora industriæ specimina nobis reliquit. Præclarè Xenophon monet: Virum oportere Oratorem esse & bellatorem, feminam verò ἄκουφον. Et certè natura operam mulieris ad domesticam curam: viri ad forensem laborē comparavit. Itaq; sexum muliebrem custodiæ assignavit, custode ei optimo, metu addito: eundemq; lanæ coloq; præfecit:

Viro

Viri autem operam ad remp. tàm belli quàm pacis tẽpore administrandam, tùm vitæ totius societatẽ ornandam amplificandamq; adhibuit, cui & amplum pectus attribuit, eumq; calori & frigori perpetiendo aptum fecit. Nulla autẽ ferè alia re vel pacis vel belli tempestates rectius guernantur, quam Eloquentia, seu, rectè faciendi & sapienter dicendi scientia. Hunc ergo Viri Finem respiciens Cicero noster totũ ad eloquentiam se convertit. Multum autem ad dicendi facultatem possunt Poëtæ. De qua re audi Fabium; Plurimum, ait ille, Oratori conferri dixit Theophrastus Lectionem Poëtarum; cujus judicium multi sequuntur. neq; id immeritò. namq; ab his & in Rebus spiritus, & in Verbis sublimitas, & in Affectibus motus omnis, & in Personis decor petitur. Idem fatetur Ovidius: ita enim lib. 2. de Ponto, ad Salonum:

Distat opus nostrum: sed fontibus exit ab ijsdẽ
Artis & ingenuæ cultor uterq; sumus.
Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis:
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Vtq; meis numeris tua dat facundia nervos:
Sic venit à nobis in tua verba nitor.

Itaq; cùm non ignoraret Cicero noster, quantum Poëtica ad Eloquentiam posset, postquam græcæ Linguæ & dicendi præceptorum fundamenta jam præclarè jecisset; latinam autem usu & consuetudine domestica didicisset: ad Poëtas animum adolescens appulit.

In quo studio quantum profecerit, testantur cùm aliæ ipsius monumenta, tùm præcipuè ARATI *Phænomena, quæ ipse convertit, & Romana civitate donavit. O laborem incredibilem! ô diligentiam omni memoria atq; prædicatione dignam! Eum, qui Reipub. & seriis rebus vitam & studia voverat, tantum operæ precium in Poëtis, quos alij ita inanes, ita faciles judicant, ut nisi egregiè illos traducant, se vix homines esse autument; Eum, inquam, in Poëtis tantum operæ precium fecisse, ut quæ in universa ferè Philosophia difficilima habentur, ea in latinum sermonem transferret, atq; Poëtica oratione adolescens etiam exprimeret! sed videamus reliqua. Cum ea, quæ ad futuram Eloquentiæ quasi ædificationem fundamenti loco esse possent, comparavisset Cicero noster: ad forenses auditiones sese convertit, & publicos Eloquentiæ professores audivit. Erant tùm viri in Rep. Romana præstantißimi quàmplurimi, qui publicas causßas agebant. Ad hos audiendos Cicero sumta jam virili toga, hoc est, ætatis anno 16. in forum venit: ante consulatum suum anno 28, ante bellum civile 42, ante mortem suam anno 49. Qua de re ipse sic scribit in Bruto: Hortensio florescente Crassus est mortuus, Cotta pulsus, judicia bello intermissa: nos in forum venimus. Qui enim antiquitus Eloquentiam amabant, ijs theatra pro Academia, qui causßas agebant, pro Magistris erant. Cumq; cæteri unum aliquem ex eis deligerent quem colerent, cujusq; ad exemplum se conformarent: Cicero noster, quæ*

erat

erat Ingenij ipsius divinitas, qui erga flexanimam illam & rerump. reginam Eloquentiam amor, quod in ea excolenda studium, omnes sectatus est, ita ut, quod in singulis esset eximium & singulare, id imitaretur. Nemo enim videtur extitisse perfectus Orator, qui non idem extiterit quoq; imitator. Itaq; à MEMMIO acerbitatem accusandi habuit: è Pompejo aliquam dicendi speciem assumsit: in Philippo Oratore varia adjumenta reperit: à Curione elocutionem, à Metello popularitatem animadvertit: In Vario, Inventionis acumen, orationis celeritatem nec inopiam, actionem fortem observabat: In Carbone maximam laudem ad persuadendum, virtutis scilicet & autoritatis notavit: à Pomponio, suapte natura vehemens & ardens, vehementior & ardentior factus est: A Iulio Cæsare Strabone urbanitatem & Leporem, à Cotta puritatem sumsit: In Antonio deniq; ecquid Ciceroni non fuit admirabile? Obstupesco fere, Auditores, quoties animo cogitationeq; hæc percurro, & quanta ingenij acrimonia, quanto labore Ciceroni nostro ad ea, quæ diximus cognoscenda atq; animadvertenda opus fuerit, considero. Verùm cùm illa Ciceronis, quæ sequuntur, quæ laboris sunt inexhausti & ferè infiniti, tacitus mecum perpendo, planè obstupesco: & quid in Cicerone mirer, nescio, divinumvè, & ad omnia excitatum, quasiq; innutritum diligentiæ ingenium, an corpus mirer, tanti laboris patiens. Sed audiamus, quæ infiniti Laboris esse dixi, ut & ipsi

de ea

de ea re judicare poßitis. Dum exercitationibus Rhetoricis ijs, quæ primæ & particulares illis temporibus esse solebant, id consecutus esset Cicero adolescens, quæ δημογαγὸς aliquis ad gloriam & laudem sufficere existimasset: Cicero tamen noster in eis non acquievit, sed Princeps Eloquentiæ studium discendis Philosophiæ partibus confirmandum, ornandum, augendumq́ esse censuit. Egregium profectò conatum! Dicendi enim facultas cum laudabili rerum divinarum atq́ humanarum scientia ita adamantinis propemodum vinculis conjuncta est, ut Philosophia sine illa, nisi horrida & inornata, esse nulla poßit, quod vel exemplis intelligere possumus, cùm etiam multi Philosophi propter eloquentiam magnoperè laudati fuerint, ut Plato, ut Aristoteles, ut Theophrastus, ut Xenophon: contra alij quod elocutionem claram & suavem spernerent, propterea sint improbati, ut Heraclitus, ut Chrysippus, ut Scotistæ: Eloquentia autem, nisi subsint res magnæ, ex quibus oratio redundet atq́ efflorescat, non Eloquentia, sed loquentia censenda sit. Imò vera Eloquentia nihil aliud est, quàm omnis rerum optimarum cognitio, atq́ in ijs exercitatio: seu, Dicendi Faciendiq́ sapientia. Cum igitur Cicero veræ Eloquentiæ naturam sciret, in omnium honestißimarum artium studio exarsit. Et quidem ætatis anno 20. sub Scævola juri civili operam dedit: quæ disciplina, si non est sola Philosophia, est tamen magna pars veræ & solidæ Philosophiæ. Vicesimo primo deinde ætatis anno reliquæ

Philoso-

Philosophiæ studium conjunxit & deinceps continuavit sub quatuor Doctoribus Philone, Diodoro, Antiocho, Posidonio, & toto exinde quadriennio proximo dies noctesq; in omni doctrinarum meditatione versatus est. Audivit Hortensium: Audivit iterum Pisonem, Carbonem etiam & Philippum. Fuit cum Diodoro Stoico, cæco illo, à quo studiosissimè quidem exercebatur in Dialecticis & alijs artibus. Etsi autem studijs his gravioribus planè quasi immersus videbatur Cicero, tamen ab oratorijs Exercitijs nullo die vacabat. Commentabatur cum M. Pisone & cum Q. Pompejo, cum quibus multùm Latinè, sed sæpius Græcè declamitabat. Inciderunt postea tempora Reipub. Romanæ funestissima & tristissima; primum bellum civile, Mario & Sylla auctoribus conflatum. Marius enim, qui exercitu Cimbrico ingenti pugna. a. V. 652, die Iulij 29. victo & deleto, populum Rom. ex cæde misera, urbem ex fœdissima flamma, totam Italiam ex bello & vastitate eripuerat: conversis studijs eam, quam armatus antè servaverat, remp. togatus non tantum omni genere fraudis, sed armis etiam evertere conabatur. Nam cum Sylla res Populi adversus Mithridatem Ponti Regem benè gereret, & crudelitatem, quam Rex ille in cives Romanos uno die unoq; nuncio in omnibus Asiæ civitatibus interfectos, exercuerat, feliciter ulciscereturr: cœpit Marius tanto Syllæ successui, ut sunt res humanæ, invidere: atq; ut aliquid frigidæ suffunderet, conspirationem Romæ contra Syllæ absentis

absentis dignitatem conflavit. Etsi autem Sylla Romam reversus Marium cum conspiratione Vrbe expulerat: tamen postea, quam Sylla ad Mithridaticum bellum reversus erat, Marius cum Cinna conjurationem instauravit, urbem occupavit, & optimos quosq; trucidavit. Quo cognito Sylla cum Mithridate pacem fecit, & in Italiam properavit ad sedandum tumultum. Ac primùm quidem Coss. vicit: mox Romam ingressus, à Senatu & Equestri ordine rogatus est, ut opem suam ad opprimendos seditiosos conferret. Quod etiam lubens fecit, & seditiosos dissipavit, quorum alij acie victi occubuerunt, alij in fuga sibi manus attulerunt. Huic civili tumultui Cicero sub Sylla tempore quodam miles interfuit. Verum, ut insolens res est victoria, ita Sylla quoq; tanto successu intumuit, & crudelior factus lanienam in urbe miserandam exercuit, civium bona in foro hasta posita vendidit, tabulamq; fixit, quæ nomina proscriptorum duorum millium Senatorij & equestris ordinis comprehendit. Hac tanta Tyrannide Syllana offensus Cicero, ad pristinas exercitationes rediit: neque longo tempore post ex domestica palæstra & umbratili concertatione medium in agmen pulveremq; deduci se passus est. Primaq; caussa pro Roscio liberè dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset quæ non digna Ciceronis patrocinio videretur. Cum autem animadverteret Cicero, libertate orationis sua graviter offensum Syllam, tùm dominantem & solum regnantem: ut tempori

servi-

serviret & simul princeps illud eloquentiæ studium etiam augeret, peregrinationes instituit. Humiles istæ & plebeiæ animæ domi residēt & adfixæ sunt suæ terræ: illa divinior est, quæ cœlum imitatur, & gaudet motu. Sed ista hîc cautio: ut id fiat non cum voluptate solum, sed cum fructu. Vagari, lustrare, discurrere quivis potest: pauci verè peregrinari. Est autem peregrinationis fructus sive finis triplex, Prudentiæ, Scientiæ, Morum: de qua re eruditissima præstantissimi Lipsij ad Lanoyum extat epistola. Prima autem Ciceronis profectio fuit in Græciam ad bonarum illud artium Emporium celeberimum Athenas, ubi apud Antiochum Ascalonitam studiosè se exercuit. Deinde nunciata morte Syllæ totam peragravit Asiam, summisq; ejus oratoribus quatuor operam dedit. Hinc Rhodum cum Servio Sulpitio venit, seq; ad eundem, quem antea Romæ bis audiverat, Molonem tertiò applicavit; & præterea in certamen cum Atticis, non de tribus Capellis sed de REGNO Eloquentiæ descendit. Ac memorabile est, quod de Apollonio Molone Plutarchus refert: Eum latinæ linguæ rudem rogasse Ciceronē, ut Græcè declamaret. In quo cùm ideo illi obtemperasset Cicero, quod putaret, se ita melius corrigi posse: cæteri omnes admiratione obstupefacti certatim de Cicerone, aliusq; alio glorioſius prædicabat: Apollonius neque orante Cicerone lætiam præ se tulit, & cum peroraſſet, defixus in cogitatione diu sedit: quod ubi Ciceronem ægrè

ferre

ferre sensit, hæc ejus vox erupit: Te quidem, M. Tulli, collaudo & admiror: sed me Græcorum fortunæ miseret, cùm videam doctrinæ & eloquentiæ laudem, quæ sola nobis reliqua erat, per te ad Romanos translatam esse. Hactenus Plutarchus. An non autem, auditores, horum laborum cogitatione in stuporem aut etiam pudorem convertemur? Quis nostrum tantum operæ in Philosophiæ studio ponit? Quis in dicendi facultate desudat? Quotusquisq; , qui dicendi faciendiq; sapientiam, quam nos jure Eloquentiam vocamus, Rebuspub. necessariam esse revera sibi persuasum habeat? Quotusquisq; est, qui Græcis ac Latinis literis excultum esse, facere aliquid putet ad vitam ornandam atq; amplificandam? Sed missis his, quæ deplorari, corrigi vix possunt, ad VIRILITATEM Ciceronis & ætatem rebus gerendis negotiisq; publicis tractandis aptam pergamus, &, num hic de diligentia & industria sua remiserit aliquid, videamus. Anno ergo ætatis 30. D. Iunio Bruto & Lepido Coss. recepit se è Græcia Romam Cicero, biennio post quàm eo profectus erat. Cum autem magna spe erectus, ad remp. summo raperetur studio: ardor ejus oraculo repressus est. Delphos enim profectus cùm Apollinem consuluisset, qua via ad summam gloriam aspirare posset, Respondit Dæmon: Si suam naturam, non multitudinis opinionem, Ducem sequeretur. Quare Romam reversus primò timidè vixit, & dubitanter ad honores accessit: nec ullo in numero est habitus:

tus: sed græculus atq; otiosus appellatus fuit. Verùm patris atq; amicorum cohortatione incitatus, tùm gloriæ desiderio inflammatus, rediit ad illam Romani fori scholam, longè omnibus Græciæ Asiæquè scholis dignitate præstantem. Vnum igitur annum cum Rhodo rediisset, caussas nobiles egit: quarum tamen hodie nulla extat. Annus 32. Quæstorem eum Siciliæ excepit. Nec verò Quæstura vehementer occupatus, arma illa Italiæ, Græciæ, Asiæ studiis instructa, situ & rubigine corrumpi est passus: sed nobilibus, apud Prætorem Siciliæ reis, qui locum in acie deseruissent, patronum se præbuit, & eos magna suæ eloquentiæ gloria periculo liberavit. Anno post è Sicilia reversus, cum jam vis illa eloquentiæ perfecta esse, & habere maturitatem videbatur quandam suam, in pluribus deinde causis & principibus patrociniis quinquennium versatus est. in patrocinio Siciliensi in certamen regni Forensis venit cum Hortensio. motaq; est ipsi sub hoc idem tempus non levis controversia à Græcis. Refert Hieronymus in quæstionibus Ebraicis, Virgilium, cum quosdam versus Homeri ad verbum transtulisset, dictum esse ab æmulis Cōpilatorem veterum. Sic & Cicero, qui in arte Eloquētiæ stetit, REX ORATORum & latinæ linguæ illustrator, Repetendarum hoc tempore accusabatur à Græcis. Ædilis interea Cicero designatus est eodem anno quo Hortensius Consul: & quo Capitolium iterum dedicatum, quod ante annos 14. conflagraverat.

In hac ædilitate secundam Verrinam habuit; cujus actionis novitate fractus Hortensius obmutuit, & Verres exilij causa solum vertit. Secutæ sunt Fonteij & Cecinnæ defensiones: nec deinceps dubius Eloquentiæ Principatus fuit. Cum enim Hortensius unà cum consulatu studium etiam Eloquentiæ deposuisset, & coquus, piscator, arborator, quàm disertus Orator & Reip. Rector esse mallet: Cicero tàm subito adversarij casu non desistebat cùm omni genere exercitationis, tùm maximè stylo partas ingenij & orationis opes & facultates augere. quare jam sine controversia regno forensi potitus est. Quadragesimo primo anno Prætor primus ex octo, cunctis centurijs ac suffragijs factus est. In quo Magistratu Pompeium ornavit: Cluentium in capitis periculum adductum sua eloquentia liberavit: Cornelium defendit, & Scholas grammaticorum Græcorum Prætor adhuc frequentavit. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti! Memoratur Accursius quadragenarius ad discendum jus venisse: atq; cum audisset à Præceptore; ô Accursi, nimis serò venis, respondisse, at quò serius, eò citius me expediam. Præclarè quidem Accursius. etsi enim prima ætas ad discendum est aptissima propter rationes, quæ à Philosopho problem: sect: 30. quæst: 4. exponuntur: tamen non immeritò cum Augustino sentimus, nullam ætatem ad discendum seram esse. Testatur id idem Augustinus; testatur id Cato Censorius: testatur id Origenes: ex quibus ille & iste Græcas, hic Hebræas

bræas literas, senes jam didicere. Et præclara est Iuliani Iurisconsulti vox, qui dicere solitus est, etiamsi sciret, quod alterum pedem in sepulcro haberet, tamen se discere velle. At quis erat Accursius? Homo erat aliquis privatus; in nulla hominum luce tùm expositus; ejus scientiæ, cujus discendæ gratia ad præceptorẽ veniebat, propemodum rudis atq; ignarus. Aut quas ille frequentabat scholas? profectò non trivialem aliquam, neq; elementarem, sed celeberrimam, & quidẽ ejus disciplinæ, quæ proximum à S. S. Theologia locum tenet, quæq; ferè sola vulgo existimata est dignitates & aurũ conferre. At hic nõ homo aliquis privatus, sed Cicero Prætor; & quidem non Cumanus neq; Arpinas, sed Romanus Prætor; non Iurisconsultorum, sed Grammaticorũ græcorum scholas; non earum, quæ ibi tradebantur, rerum rudis, sed ita peritus, ut qui græce declamitando laudem doctrinæ & Eloquentiæ ipsi Græciæ, idq; Apollonij testimonio, præripuisse judicatus sit; & is jam quadragenarius scholas Grammaticorum frequentat. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Quod si hodie senator alicuj' oppidi, paulò ignobilioris, apprimè tamen artium & linguarũ cognitione instructus, in scholam quam vocant, trivialem iret, & nugis grammaticalibus inter cæteros pueros assidens, tanquam discipulus quidam auscultaret; an non prodigij loco omnibus esset futurus? præsertim ijs, qui cùm à Parentibus & amicis in Academiam ad linguarũ & artiũ culturã missi sunt, tamẽ, quæ vir-

ginalis est ipsorum verecundia, pudet eos auditoria publicè visere illa, in quibus linguæ & artes docentur: quos interim suæ insciliæ & barbariei privatim minimè pudet. Possem, Auditores, si vellem, in eum, qui mihi latissimè se hic offert, dicendi campum excurrere, & oratione gravi ostendere, aut, ut verius dicam, deplorare, quàm nauci hodie fiant linguarum & bonarum artium studia; quàmq; infra suam dignitatem opinentur esse quidam, intrare auditoria, atq; græcis latinisq; discendis præceptisq; artium operam dare. Sed contineo me, ne, pravos incessendo, bonos unà petere videar: & ad Ciceronem redeo. Quem idem Labor, qui Quæstorem, qui Ædilem, qui Prætorem creaverat, triennio post Consulem mirificè creavit. Hic est celebris ille Consulatus, quem Cicero ætatis 44. anno gessit: de quo cùm alibi, tùm oratione in Pisonem magnificè se effert. Habitæ sunt hoc eodem anno rerum pondere & verborum splendore gravissimæ Orationes illæ undecim, quas Consulares vocamus: & Murænam, ambitus reus, adversus Ser. Sulpitium, M. Portium Catonem & Cn. Posthumum, defensus. Post consulatum autem causæ dictæ sunt pro Flacco, repetundarum; pro P. Sylla, conjurationis Catilinariæ reis: pro Archia Poëta, de jure civitatis retinendo. Scripta est historia rerum in Consulatu gestarum, & Poëma. Bibliothecarum in villis curam continuavit. Satyras in Tyrannos infinitas quotidiè pangebat, quæ Attico tantum legerentur, mox perderentur. Secuta est

deinde

deinde calamitas Ciceronis. Pub. enim Clodius, Tribunus plebis, infestus Ciceroni; quod contra se, adulterij in Bonæ Deæ sacris cum uxore Iulij Cæsaris commissi accusatum, testimonium dixerat; diem Ciceroni dixit, quod Catilinæ conjuratos, homines nobiles, indemnatos, necasset in carcere. Cujus furori Cicero se objicere nolens urbe cessit. Quod exilium, etsi Cicero aliquantò gravius tulit, tamen fructum etiam ingenij quendam nobis reliquit, epistolas eo anno scriptas 2. 5. 6. 7. 8. 9. & alias libri 3. ad Atticum, & Epist. 3. & 4. ad Q. fratrem. Decimo post mense omnium ordinum animis ad Ciceronem conversis Clodiana Lex abrogata est, reditusq; Ciceroni decretus. Postridie itaq; reditus gratias egit tùm Senatui tùm Populo Romano, quod ab exilio esset revocatus. Incidit hic annus reditus Ciceronis in annum ætatis Ciceronis 50; annum V. C. 696. fuitq; instar inauditi cujusdam triumphi: cùm Cicero Senatum egressum vidit, populumq; Romanum universum: cùm ipsi Roma propè ipsa convulsa suis sedibus ad complectendum Servatorem suum procedere visa est: quæ eum ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur & tecta urbis ac templa lætari. Habitæ sunt ab hoc tempore Orationes permultæ: Oratio de Provincijs consularibus; qua suadet Cicero, ex Senatusconsulto, quod factum esset anno V. 667, provincias consulares, Syriam & Macedoniam

futuris consulibus decerni: Galliamq; Cæsari non adimi: Oratio De Haruspicum responsis, in qua disputat, an, quod prodigiis factis Aruspices consulti respõderẽt; loca sacra & religiosa profana videri: hoc responso domus Ciceronis, ante à Clodio consecrata, profana videatur? Oratio pro P. Sextio, de vi adversus M. Tullium Albinovanum. Oratio in Pisonem. Scripti tres illi elegantissimi libri de ORATORe adQu. Fratrem: qui libri, præceptoris nostri communis, reverẽdi Senis Davidis Chytræi judicio, non modò artis dicendi præcepta usitata, verũ etiam judiciũ de præceptis & tota ratione sapienter & ornate & aptè dicendi exponunt, sicut ipse Cicero se, quid de ratione dicendi habuerit judicij, in eos libros contulisse testatur: sed etiam exemplum ac Idea sunt bonæ, puræ, perspicuæ, illustris & ornatæ Orationis latinæ, quod in propria Oratione componenda sibi ad imitandum & pro virili exprimendum rectissimè singuli proponant. Habitæ orationes pro Plancio, & pro Scauro: defensus Gabinius. Editi libri de Republica sex: qui sive perierint, sive sub signo clausturisq;; id quod Molitor quidam, si tamen verus est auctor, apud nobilem quendam Volinien-sem Woinoscovium vidisse se affirmat; contineantur: Scipionis sanè somnium, quæ unica nobis de universo naufragio tabula superest, testatur, quàm recondita in ijs fuerit doctrina, & quanta illi publicæ utilitatis jactura desiderentur. in hos enim multa, quæ Plato, quæ Aristoteles, quæ Theophrastus, quæ alij præstantissimi

tissimi Philosophi de Repub. scripserant, transtulerat Cicero; multa addiderat de Romana Repub. multò plura suo ingenio judicioq; pepererat. De operis tamen universi argumento significationes quasdam non obscuras esse tum in Ciceronis, tùm in Augustini libris, Ramus, quodam in loco affirmat. Nam primis duobus libris definita respublica, tùm in genera partesquè distributa, & omnes excellentis in republica viri artes erant tandem explicatæ. In tertio libro quæstio, an sine justitia Respub. regi possit, magna conflictatione inter Philum, qui pro injustitia contra justitiam egit, & Lælium, qui justitiam defendit, disputata est. Quarto libro, ut Platonis 2. 3. & 10, descriptio quædam civium est facta & de Poëtis tractatum. Non enim veterib. Romanis placuit, opprobriis cum homines tum Deos in scenicis fabulis cumulari. sed lege XII. tabularum capitale erat, si quis actitavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri precaretur: quod probrum audiri non debeat, nisi ea lege, ut respondere liceat & judicio defendere. Quinto autem libro collatio quædam rerumpub fuit, ut apud Platonem est 8 & 9. de Rep: in quo requirebatur, ubinam esset ea vera Resp. quam Cicero per Scipionem constituisset. Sexto denique libro princeps reip. erat informatus, & suis legitimis moribus ornat?: qualem Principis institutionem Plato copiosius tractavit 3. 4. 5. 6. 7. libris de Rep. In hujus autem sexti Ciceronis de rep. libro extremo, cùm jam perorandi tempus esset, fabulam introducit, in

qua, ut Imperatores facere solent, cùm milites instruxerunt ad pugnam, quò reddant eos alacriores ad dimicandum, præmia futuræ fortunæ amplificant, præsentemq; extenuant: ita Scipio, cùm cives suos ad justiciam instituisset, quò magis ejus amore incenderet, pulcerrimam jucundißimamq; cœli possessionem in remunerationem ostentat, terrarum habitationem ram & angustam & brevem ac caducam despicit: quoq; spe firmiore propositis tantis præmiis boni cives excitentur, animos immortales esse docet, & illic ævum cum Diis sempiternum acturos. Editi libri de LEGIbus, qui originem juris universi ex natura mētis humanæ ad imaginem Dei conditæ, & distinctione justorum & injustorum illustratæ eruditißimè detexunt. Edita PARTITIones Oratoriæ, parvum illud quod nunc interpretandum suscepimus opus, sed adeò præclarum & pretiosum, ut nullum quidam existimēt esse in hoc genere, quod ulla ex parte cum eo conferri posse videatur: ut non tantum aureolum, sed etiam gemmeum, & si quid gemmis pretiosius est, meritò possit appellari. Quicquid enim ad artis Oratoriæ præcepta tradenda pertinet, id miro quodam ordine, atq; satis dilucidè complexus est in hoc uno libro Cicero. Defensus Milo brevi quidem oratione, non illa, quæ nunc extat: &, uno verbo, totus Cicero in literis totus fuit tùm legendo tùm scribendo. Dixi de Laboribus Viri Ciceronis literariis. Sequitur QV ARTus & extremus vitæ actus qui omninò primis respondet.

Incidit

Incidit autem initiò tempestas illa bellorum civilium altera, cùm Cæsar & pompejus de potentia dimicarunt. Cum enim Iulius novem illis annis, quibus Galliæ præerat, quadringentos populos subegisset: oppida octoginta per vim cepisset: prælio tricies dimicavisset: Galliam totam Romanis subjectam in provinciam redegisset, & armatus jam consulatum peteret: suspecta cepit esse Senatui ipsius Potentia, præsertim Pompeio, qui, ut Cæsar superiorem, sic ipse parem ferre nullo modo poterat. Perscriptum est itaq; die Ianuarij 7. anno V. 704. ætatis Ciceronis 58. Senatusconsultum, quod non, nisi in maximis Reip. periculis, summa id extorquente necessitate fieri solebat: Darent operam Coss. ne quid detrimẽti resp. caperet: quo armati sunt Coss. & Pompejus in Iulium: fuitq; hoc Classicum belli civilis. quod mox summa animorum contentione, & omnibus totius Imperij Romani viribus est gestum. In hoc bello integrum se servavit Cicero, quoad de pace actum est: & simul arma illa Italiæ, Græciæ, Asiæ studijs instructa aliquantisper quiescere sivit. Pulso deinde Pompejo, & postea etiam à Photino, quem ipse in capitis periculum adductum olim servaverat, nefariè trucidato, cùm unius Cæsaris arbitrio omnia ferè ageretur, Cicero pertæsus curiæ & fori in Tusculanũ concessit, atq; ibi regnum Rhetoricum instituit. In quo regno numerantur BRVTVS, id est, liber, Chronologiam Oratorum, qui Athenis & Romæ dicendi laude celebres fuerũt, & de singulis acuta & sapientissima Cice-

ronis judicia & censuras continens: à Cicerone ætatis 61. scriptus, & anno sequenti editus. & liber, dictus ORATOR AD BRVTVM, in quo conatus est, Perfecti Oratoris formam, non quæ revera fuerit unquam aut sit, aut futura sit in aliquo homine: sed quam ipse magnus orator animo comprehendebat, exprimere. quam rem adeò scienter & artificiosè confecit, ut non melius Zeusis Helenam, aut Praxiteles Venerem expresserit. Perfectum verò eum appellari posse ait: qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere, atq; ornare, quæ vult: quiq; omnia divina & humana animo ac memoria continet. Scriptæ Orationes pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro. Philosophia latinis literis est illustrata. Scripti libri ACAdemici, qui bis editi. Ac prior quidem editio duos continebat libros, Catuli & Luculli nominibus inscriptos, ex quibus Lucullus adhuc integer habetur: in quibus duobus libris Cicero, cum à sui temporis hominibus inceſſeretur, ut levissimus transfuga, nec in ulla parte stans, sed modò Epicureus, modò Stoicus, modò Peripateticus, modò ab his ipsis alienus: pulcerrimæ institutionis suæ declarandæ causſa Academiæ novæ causſam egit. Posterioris verò editionis quatuor erant M. Terentio Varroni nuncupati libri Academici, eodem, quo superiores duo, argumento, sed magna accuratione & diligentia limati. de quibus quatuor, fragmentum duntaxat primi hac nostra ætate residuum est: in quo primum captata sermonis occasione quæstio

statim

statim disputatur, an Latinè Philosophandū sit? deinde veteris Academiæ explicatio, ejusq; à Peripateticis primum, deinde à Stoicis facta correctio traditur. Scripti libri de FINIbus bonorum & malorum, & in contrarias partes disputati, more Academiæ novæ; in qua liberum erat de omnibus rebus, nulla adhibita cujusquam auctoritatis persuasione, judicare. In horum primo Torquatus Epicuri sententiam, voluptatem esse hominis finem, defendit: quam secundo libro refutare conatur Cicero. In tertio deinde Cato Stoicæ Philosophiæ summam explicat: cujus paradoxis, in quarto, reprehensis; Peripateticam & Academiæ veteris disciplinam in quinto, exponit. Scriptæ TVSCVLANÆ quæstiones, in quibus consolationem Philosophicam, opponendam Morti, ut in primo: doloribus seu morbis corporis & animi, ut in secundo: tristitiæ seu ægritudini, ut in tertio: & reliquis perturbationibus, ut in quarto, tradit: & ad beatè vivendum virtutem se ipsa esse contentam, ut in quinto, demonstrat. Postea tamen rediit ad Rempub., & Thrasybuli exemplo pacē suasit, & omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam; ut ipse prima Philippica ait; censuit. Mox statu rerum offensus ad pristinum otium se retulit: in quo legationem liberam quidem accepit, sed tamen in hoc liberæ legationis otio minimè otiosus fuit. Nam hujus otij partus sunt Nobilis illa DE NATVRA DEORVM disputatio, libris tribus absoluta, in quibus primò disputat an sit Deus, Velleio negante

negante, Balbo autem affirmante esse Deos, secundò, quod sit seu qualis sit Deus. deniq; , qui effectus, quid agat? quod non universo generi hominum solùm, sed etiã singulis, Dij immortales consulant & provideant. Et libri DE DIVINATIONE duo, quorum prior Divinationem probat: posterior improbat & negat. Et liber DE FATO truncus; locis communibus, Academica licentia declamatis, compositus. Cum enim tres eo tempore præcipuæ essent de fato sententiæ, Vna Posidonij, fatum. 1. rerum omnium immutabilem & sempiternam necessitatem, naturæ siderumq; contagioni attribuentis: quæ quidem ut tùm maxima, maximeq; celebrata, ita maxime alijs etiam temporibus probata fuit: ut Porphyrio, summo gentium Philosopho, qui affirmavit, quæcunq; Dij fata prædixissent, ex siderum motu prædixisse: ut Origeni, qui sidera sic interpretatur esse temporum signa, ut cœlum sit veluti quidam liber apertus, omnia tempora descripta continens, sed EVM TAMEN LIBRVM AB HOMINIBVS LEGI NON POSSE: ut nostræ ætatis plurimis Christianis, qui non Hominum tantum & fortunas, & matrimonia, & amicicias, & vitam, & mortem, & genus mortis, Astris inscripta esse affirmant; sed eò etiam dementiæ processerunt, ut quidam eorum non dubitent affirmare, ex cœli parte, quæ genituræ Domini nostri Iesu Christi tempore ab oriente supra Horizontem emersit, mortem & sacrosanctissimam Salvatoris nostri passionem portendi & etiam

etiam pendere. Altera de fato sententia fuit Chrysippi, qui fatum definiebat causarum seriem sempiternam, qua & praeterita facta essent, & instantia fierent, & quae sequerentur, essent futura: in eaq; serie causas non solum necessarias, sed voluntarias & liberas catena quadam Homerica copulabat. Tertia Epicuri, omnem efficientiam fortuitis atomorum declinationibus tribuentis. Cum, inquam, tres eo tempore praecipuae essent de fato opiniones, Cicero Academico more eas disputat: & primum Posidonio respondet, astrorum magnas quidem esse effectiones, sed humanae voluntatis, Philosophiaeq; vires esse majores: qui tamen locus totus ferè amissus est. Chrysippi verò sententiam eludit: & reprehensionem Epicuream, ut ineptam & fatuam, coarguit, & sic exagitat, ut miserabilius Epicuro nil esse videatur: quam ita tamen exagitat, ut impietatem interim Carneadis, fatum una hac ratione tollentis, quod fato posito, nihil esset in nostra potestate: hanc tantam Carneadis impietatem probet. Tandem tàm confusis opinionum quasi fluctibus obrutus, ad Chrysippeos scopulos ejicitur, & Chrysippi fatum fallaci ac captioso arbitrio comprobat. Hi libri partus sunt illius, quam dixi, liberae legationis otij. Sed & scripsit CATONEM MAIOREM, hoc est, Dialogum de Senectute, in quo Cicero refutatis quatuor, propter quas Senectus vituperatur, causis, hoc est, impedimenti rerum gerendarum: & infirmitatis corporis; & privationis voluptatū: & appropinquationis mortis;

magno

magno eloquentiæ ſplendore & apparatu conatur obtinere hyemem (ſic enim Senectus appellanda videtur) meliorem eſſe æſtate. in quam tamen ſententiam nemo, opinor, flumine illo orationis ſe abripi patietur; ſed potius id perſuaſum habebit, veriſſimam eſſe Græcorum ſententiam: Time ſenectam, quia non venit ſola. Scripſit LÆLIVM: quo Dialogo nihil eſt jucundius, aut eruditius. Docet enim quid ſit amicitia, & à quibus cauſis oriatur, & quantas commoditates vitæ humanæ afferat. deniq; metas amicitiæ conſtituit, ne quis hoc ſanctiſſimum nomen omnibus furoribus prætexat. Scripſit libros DE OFFICIIS, in quibus nihil ab eo prætermittitur, quod ad honeſtatẽ atq; dignitatẽ aliquo modo pertinere videatur. Cum enim ad benè beateq; vivendum quicquid honeſtum eſt atq; utile, requiratur: ita diſtinguit opus ſuum Cicero, ut primo libro de Honeſtate, ejusq; partibus diligentiſſimè verba faciat: omnemquè virtutem quatuor formis contineri doceat, Prudẽtia, Iuſtitia, Fortitudine, Temperantia: quas virtutum ſpecies ſigillatim ita tractat, ut nihil clarius, nihil ſplendidius, nihil ornatius tractari poſſit. Secundo verò libro quæcunq; generi humano poſſunt aliquam afferre utilitatem, ſtudiosè perſequitur. Quo in libro docet etiam, qua ratione facilè poſſimus, & magnum amicorum numerum, & ingentem nobis gloriam comparare. Sed quoniam accidit aliquando, ut quod honeſtum eſt, ab utili quodammodo diſcrepare videatur, atq; idem contra: voluit

etiam

etiam huic parti satisfacere Cicero. quare tertium duobus libris adjunxit: quo perspicuè declarat, quid nobis faciendum sit, si quando accidit, ut honestas cum utilitate pugnare videatur. Atq; ita tribus libris, hoc est, perfecto absolutoq; numero, totam benè vivendi rationem complexus; perfectum nobis opus & elegantissimum tradidit. Scripsit TOPICA, quæ sedes argumentorum omniũ aperiunt, sive quis in Rhetoricis sive Dialecticis exerceri velit. Scripsit alia permulta, erudita & polita, quæ tẽporum injuria interciderunt. Deniq; reversus ad Rempub. Cicero, vir patriæ magis quàm vitæ amans, pro libertate ejus, contra Antonium quatuordecim Philippicis, tanquam Cygnea voce, peroravit. Dixi de Literarijs Ciceronis Pueri, Adolescentis, Viri, Senis Laboribus. Quos quoties aspicimus: aspicere autem, qui in studijs versamur, quotidiè debemus: toties infinitam illam cum discendi cupiditatem, tùm perficiendi assiduitatem non tantum mente animoq; perlustrare, sed amplecti etiam, osculari, admirari & ad imitandum propositam habere debemus. Quis enim non jure miretur Ciceronem ejusquè industriam, non tàm pueri & adolescentis, quàm viri & senis: quod ea ætate, qua Magistratus gerebat in totius mundi tùm Domina Repub. Romana amplissimos & molestissimos, tantum suo genio detraxerit, ut ne horas quidem succisivas perire pateretur, quin illis nobiles vigilias, quibus hodie juventus instituitur, literis mandaret.

daret. Dicam apertius. Quantum cæteris Romanis ad suas res obeundas; quantum ad festos dies ludorum celebrandos; quantum ad alias voluptates & ad ipsam animi & corporis requiem concedebatur: quantum nos ipsi tribuimus intempestivis convivijs, quantum otio inhoneſto, quantum aleæ, quantum pilæ: tantum sibi sumsit Cicero ad recolenda Philosophiæ studia, & edendos nobilißimos illos partus, tot disputationũ cùm forensium, tùm Philosophicarum præstantißimos, quos recensui, libros. O studiũ! ô laborẽ! Ciceronem Magistratus publicos in ea Repub. quæ totius Orbis terrarum Oraculum erat, gerentem, & negotiorum gravitate atq; varietate defatigatum ex prætorio, curia, foro domum reversum, tantum se & suum genium defraudasse, ut ne succisiva quidem, quibus honestè licebat, tempora sibi indulgeret, sed illis ea scriberet, quæ nos diligentes ac industrij vix ac ne vix quidem legitimis temporibus legimus. Quis hæc non jure miretur, Auditores? nemo, opinor, nisi qui tàm sit stupidus, ut ignoret, suam diligentißimam etiam diligentiam ad Ciceronis diligentiam nihil, aut certè umbram diligentiæ esse. Stupidißimus autem existimandus est, qui Ciceronis laborem ad imitandũ nobis propositum esse neget. Est enim honesta res Labor, & precium ferè illud unicum, quo Deus nobis sua bona quasi vendit. Et certè cùm ad cæteras res Mortalium omnes, tùm ad Eruditionem Precatione & Diligentia opus est hominibus. Quare, Auditores, primò

primò in vocatione nostra Dei opem precibus puris ac castis quisq; nobis impetremus: deinde Ciceronianeæ diligentiæ æmuli, nulli operæ, nulli labori nulli industriæ in obeundis, & rectè atq; ordine pertractandis singulis partibus officij nostri parcamus. Ita experiundo cognoscemus, Pietate atq; ordine Duce, Labore comite ad res præclaras vadenti DEVM immortalem nunquam defuisse.

ORATIO QVARTA.

DE IVRE NATVRÆ, FONTE OMNIVM LEGVM.

LIbros de Legibus Ciceronis explicaturus, quod fœlix fauſtumq; sit; operæ precium facturum me existimabam, si pauca quædam præmitterem, quæ à lectione horum librorum, sapientia penè divinâ refertorum, non essent aliena. Id enim consuetudine receptus mos postulat. neque ego minus ad horum librorum tractationem, quam ad sacra, lotis manibus lotisq; pedibus accedendum duco. Itaque de LEGE Naturæ, quod ea Fons sit universi juris humani, quàm potero, brevissimè dicam. Legis auctor mihi

Pronunciata est 20. Iunij à. 1596.

adsit. neq; vos, Auditores, vestra mihi benignitate & humanitate deeste id quod à vobis peto & contendo. Atq; quod in institutione, quæ à rectâ ratione proficiscitur, fieri & solet & debet, idem ut sequamur: definiendũ principio videtur jus, ut intelligamus, quid sit id, de quo hîc disputetur. Iuris enim notiones plures sunt, quibus nunc de loco in quo jus redditur: nunc de cognatione dicitur interdũ idem est jus, quod Græcis τὸ δίκαιον: nonnunquam, etsi rarius, jus pro ipsâ juris arte sive scientiâ accipitur. Nobis verò hîc jus est præceptũ de iis rebus, quæ in vitâ honestè & rectè degenda ad alterũ potißimũ pertinent. Est enim juris & legum proprium præcipere sive jubere & vetare. Vnde hæc legis Virtus Modestino ICto. dicitur & pulchrè inquit Seneca, Leges quid aliud sunt, quàm minis mixta præcepta? Quẽ autẽ sive Moysis, sive Solonis leges finem potiß. respiciunt? nisi, ut in Ecclesia loqui solemus, Deũ & proximum. Hoc jus in duo genera tribuitur, in Divinum & Humanum. Leges enim aliæ immediatè Deũ auctorem habent, αἱ ϗ ζηνὸς ἄνακτος ἐπὶ θρόνον ἱρὸν ἵζουσι, quæ ideò super Iovis Principis sacro sedent solio, ut est in Orphei hymno apud Stobæum: quas ipse Opt. Max. cum naturæ humanæ earum noticiam initiò impreßisset, voce suâ deinde revelavit & promulgavit. Aliæ vero humana auctoritate perferuntur & perrogantur. De illis unde essent nunquam dubitatum fuit apud eos Homines, quos divinioris auræ vis illustravit. Sed de Humanarum legum origine, etsi saniores Ethnici eam ad Deos retulerunt & cœlum: sunt tamen, qui

furenter fingunt, & Homines non esse ad justitiam natos, & opinione jus esse constitutum. itaq; quemadmodum aliarum quæ, in dubio positæ sunt, rerum: ita legũ mutationem liberam esse, gubernationemq; morum similem esse ferarum cicurationi, nulla certa norma constanti, adeoq; disciplinam esse Tyrannicã, & cum natura pugnantem coactionem, turpiter sunt mentiti. Quod genus hodiè quoq; multos reperitas, qui gubernationem morum nihili pensi habentes, cùm nescio quo petulantiæ spiritu impulsi & persuasi ad ἀσωτίαν non ad sanctam vitam se conditos existimcnt, disciplinæ repagulis remotis in barathrum nequitiæ & lasciviæ petulanter se præcipitant. Qui certè in maximo errore & tenebris plusquam Cimmerijs versantur. Quo mihi videatur magis necessarium, sæpè omni cura incumbere in cogitationem de Fonte & Origine Iuris, ut & qui sani sunt, habeant unde confirmentur, & qui corrupti, unde emendentur. Ita enim existimandum est, hac ipsâ de origine juris doctrinâ ad morum vel bonitatem corroborandam, vel pravitatem corrigendam nihil esse aptius, nihil efficacius, nihil præsentius. Quænam igitur est, inquies, origo legum humanarum? Honesta & justa sunt talia non opinione hominum, sed Naturâ sunt justa. naturam autem rationis veritatem nuncupamus. Est ergò origo juris & Honesti, non Solonis ἄξονες, non Lycurgi ῥῆτραι, non XII. Rom. tabulæ, sed innata quædam Homini vis, ut Cicero loquitur lib. 2. veteris Rheiorica,

seu κοιναὶ ἐννοίαι: quæ sunt radij sapientiæ ac lucis divinæ, sparsi in mentes Hominum, ut sint testimonia de Deo, ut regant mores, & gignant artes, quarum usus in vita est necessarius. Quæ notitiæ vocãtur & sunt leges Naturæ, id, est Leges à Deo verè naturæ humanæ inditæ: Paulo Apostolo veritas: Græco cuidam Theologo, αὐτοδίδακτος νόμος: Platoni atq; Aristoteli jus non scriptum: Demosthenι οἰκεῖα φύσεως: ICtis jus gentium & jus naturale. quod Vlpianus quidem sensit habere Hominem cum bestiis commune. Sed impropriè. Etsi enim in brutis sunt quædam inclinationes & effectiones justitiæ, sicut & virtutum aliarum simulachra: quemadmodum Plutarchus in Camillo, Xiphilinus Dionis in Imperatore Augusto, Demosth. in Aristogitonem, Aristophanes in Avibus, Plinius & alij testantur. æquum tamen & jus eis non inest. Iustitia enim alienum præcipuè bonum spectat, munus suum alienis impertit, & ad hoc ratione & oratione opus habet. At bestiæ quicquid faciunt, sua causa faciunt, ac ratione & oratione carent. Vnde cum illis nulla societas esse potest, nec ulla juris communio. Itaq; licet equos fortes, serpentes prudentes, turtures castas appellare: justas sive insi qua drupes paup. fec. justas animantes, præter Hominem, nullas dicemus. Animal enim hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor; quem hominem vocamus; non sibi soli natum est, sed ortus ipsius partem patria, partem parentes vendicant, partem amici: atq;, ut placet Stoicis,

quæ

quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creantur, homines autem hominum caussâ sunt generati, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possent. Idem animal solum est ex tot animantium generibus & naturis particeps rationis & cogitationis: solumq; in quo justicia ejus elucet, inter animantes ad DEVM contemplandum & amandum est natum. Neq; enim audiendi sunt, qui ideò creatum esse Hominem non tàm ridiculè quàm flagitiosè commenti sunt, ut esset animal in mundo versutum ad aliaq; fallenda paratum. Bruta enim animantia, ajunt, fallacia esse non poterant ob stulticiam & stupiditatem: Superi verò ob probitatem: Hominum igitur, inquiunt, ingenia facta sunt ad fallendum parata. Quasi verò tanti facienda fuisset fraus, ut animal Deus procrearet versutum ad aliaq; fallenda paratum? Quasi verò omnes fallaciæ, doli, machinæ, simulationes, mendacia, præstigiæ non sint malæ? in Deo autem fonte omnis boni sit aliquid mali? Nec Academicorum commento indulgendum est. Cùm enim Plato in 1. de LL. dialogo dubitare videatur, sitnè res seria Homo, an per jocum & ad ludum à Dijs facta? Hanc sententiam ita exposuerunt aliqui, ut admirabile hoc mundi theatrum ludicram scenam fecerint: Homines histriones, qui corporibus obducti, tanquam personati, tùm comicas, propter nonnullam lætitiæ speciem, tùm Tragicas, propter lamentabiles casus, texerent fabulas, Dijsq; spectandas exhiberent, quibus illi mirificè delectarentur. Quæ in impiam fa- Cic. 1. Offic.

bulam non inelegans ratio inclusa est. Etenim non intuetur Deus nostra, ut ex illis voluptatem aliquam capiat aut dolorem; sed ut in impios animadvertat, & eorum facinora & scelera ulciscatur: benè autem de ipso merentes præmijs afficiat. Non igitur hujus ergò Homo est creatus. Sed Hominis extremum Bonum DIVINVM est Numen: ad cujus cognitionem ut perveniret, & singulari quodam illud ipsum amore per sequeretur, non solum præclara quadam conditione, qua cuncta animalia anteiret, Deus eum creavit, sed mirificis muneribus, communicata imagine sua, cumulavit. Ex quo effectum est, ut, quemadmodum Deus est substantia intelligens, in qua est sapientia discernens recta & non recta, & voluntas liberrima volens recta, & sua quadam lætitia acquiescens in rectis, & nolens contraria, eaq; vera indignatione repellens ac destruens: sic ANIMA Hominis incorrupta esset natura intelligens, in qua perfectè lucebat Noticia Dei, & sapientia, quæ discernit justa & injusta, & habet voluntatem liberam, gubernante Spiritu S. volentem justa, fiducia & lætitia in Deoplenam, inferioribus viribus sine earũ contumacia, sine peccato sine morte, dominantẽ. Ex qua perfectione licet primi nostri progenitoris culpa excideremus, & ex imagine Dei facti simus larva Sathanæ; in Natura tamen etiã corrupta & Noticiæ Dei & Legũ honestarũ semina, quasi ex fracta nave rudera, supersunt. Etenim id quod de Deo cognosci potest, manifestũ est in animis nostris, in quib. Dei, cujus progenies sum⁹, vestigia

vestigia circumferimus, seu, ut Cicero hîc loquitur, quorũ ductu & auspicijs nos Deorũ agnatione & gente teneri videmus. Nam cum quod rationis est expers, nõ poßit efficere id, quod cõpos est mentis, ut Zeno inquit; in nobis autẽ sit mens intelligens, boni & justiciæ approbatrix: necessariò sequitur Deum esse mentem intelligentem, boni & justiciæ approbatricem, quæ tantò nobis sit præstantior, quantò caussa præstat suo effecto. Taceo ποιήματα, quæ Paullus Apostolus vocat: prætereo mundi hoc theatrum admirabili sapientia & varietate distinctũ & ornatũ: silentio involo ordinem & consensionẽ partium universi: motionũ cœlestiũ æquabilitatẽ atq; constantiam: admirabilẽ deniq; Humani corporis fabricam: quæ omnia Deum in prospectũ ita ponunt, ut non solum esse illum, sed & Bonũ & infinitũ & sapientem & liberum, & æternũ & providentem apertè declarent, atq; tantum non Deum quasi contrectandũ nobis exhibeant. Itaq; in hac quoq; Naturæ depravatione radios divinæ mentis, quanquam valdè retusos, in nobis scintillare deprehendimus: quorũ vi Homo, etiam nõ renatus, ad Deum aspirat ac contendit, ad eumq; indagandum nonnunquam, quanquam frustrà, ascendit. Quod ita verum esse videmus, ut ipsa barbaries & feritas ab eo abesse non poßit, quin Deum habendum sciat, etsi ignoret, qualem habere deceat. In ijs autem, ad quorum animos fabricandos aurum contulit Iupiter, Ethnicis videmus, si ductum scintillantis in ipsis imaginis Dei sequantur, quàm reli-

Rom. 1. 10.

Act. 17. 17.

Cic. 1. de ll.

Plato in Apologia Socratis.

giosè de Deo sentiant & loquantur: inter quos & Socrates pluralitatem Deorum ad unitatem cum præsentissimo periculo vitæ revocare non dubitavit. Sed uti Deum esse natura videt, sic invocandum illum & honore afficiendum agnoscit. semper humanæ res in magno æstu versantur, efficiuntq; ut qui sapientiores sunt omni tempore, non solum de eventis solliciti sint, sed in consiliis maximè caveant, ne labantur. quorum neutrum quia humanitus fieri posse animadvertunt, ad mentem aliquã confugiendum statuunt, quæ non tantum videat futura, sed successus etiam gubernet. quod

Plat. in Timæo

& divinus Plato comprobat Τοῦτο γε inquiens, πάντες, ὅσοι καὶ κατὰ σωφροσύνης μετέχουσι, θεῖ πάσῃ ὁρμῇ καὶ σπουδῇ καὶ μεγάλῃ πράγματος θεὸν αἰεὶ καλοῦσιν. Alij verò, quos Plato superioribus insipientiores facit, quanquam non desipiunt, in opere Deum invocant, & ad divinam opem animum appellunt: quod Homerus de Ducibus in prælio non loco uno innuit, & Historia Græca ac Romana declarat. Eademq; Natura Duce, Gentes viderunt sacrificandũ interdum Deo, & subinde vacandum ei tota mente, utpote, cui

Arat. citante Apostolo, Act. 17. 28.

debemus, quicquid boni habemus. quia αὐτοῦ γένος ἐσμεν, ut Arat⁹: ut Plato, θαῦμα ζώων θεῖον. Deo autem alij Ethnicorum aliter serviendum statuerunt. non

Pla. 1. de ll.

nulli sola mente, eaq; pura litandum Iovi censuerunt, templum ipsius existimantes esse cor Hominis Deo obedientis: litandũ verò hoc modo non festis fastis, sed per

totam

totam vitam judicarunt. atq; hoc est, quod Plato sæpè admonet, ut Honesto & Pulchro, qui Philosopho ipse Deus est, vacemus, eiq; non unum diem dedamus, sed vitam integram destinemus. Alij in colendo Deo non tàm mētis κάθαρσιν, quàm ritus & ceremonias, quæ in oculos incurrerēt, spectarunt. Quare longius à mentis unitate & cultu aberarūt. Iidemq;, ut rectius ceremoniæ administrare possent, Sacerdotes & sacrorū Reges eis præfecerunt, formamq; divinis rebus alij aliam addiderunt. Præsertim Romani in sacris instituendis & custodiendis ad superstitionē operosi fuerunt. Quos enim Deos, quas Deas non effinxerunt? quæ ijs templa, quæ delubra, quæ fana, quas aras non construxerunt? quæ hostiarū genera non mactarunt? hostias majores, hostias lactātes, hostias animales, ruminales, injuges, eximias, succidaneas, ambarvales, piaculares, prodigas, mediales, Caviares, optatas, Harvigas. quos denique Pontifices, quos Salios, quos Flamines, Augures, Epulones, Feciales, Arvalcs, Vestales non constituerūt? Qua in re tamē cùm Romani tum cæteri, qui luce divini verbi carverunt omnes à naturæ lege immane quātum deflexerunt: ad quam si conversi fuissent, ex ejusdem mentis suæ seu animæ unius trinitate, Dei unitatem in Trinitate adorassent. Sed evanescere Paullus queritur istam scientiam legis in cogitationibus Hominum non renatorum, adeò ut veritas, id est, vera notitia naturalis commutetur in mendacium, seu falsas & mendaces opiniones de DEO, gloria immortalis

Brisson. in inform. lib. 1.

Antimach. lib. 2. Theor. Rom. l. 25.

Dei transformetur in similitudines non tantùm rationalium Hominum, sed bestiarum quoq; ratione carentium. Etsi autem gentes, quo diutius de Deo cogitarunt, eò longius ab eo recesserunt: tamen inexcusabiles erunt, quod cum Natura dictante, esse Deum creatorẽ, viderent eum colendum; ignorarent autem quis esset, & quomodo is esset colendus: quod vel inde colligere proclive illis erat, quod in optimis etiam suis de Deo
Rom. 2. 15. cogitationibus accusarentur: animum tamen non appulerint ad quærendam anunciationem revelationis divinæ in Ecclesia: quam Deus ob id semper in illustri aliquo regno aut Monarchia constitutam, ita conspicuam in toto orbe terrarum reddidit, ut omnes gentes cœlestis doctrinæ lumen non sub modio occultatum, sed in candelabro positum palam intueri possent. A DEI cultu Natura ad Hominem descendit. Quemadmodum enim innatum est omnibus hominibus ESSE DEVM, cumq; ab operibus agnosci: ita eisdẽ quasi insculptum est, Hominem esse ad societatem creatum: ideoq; colendum esse ordinem ad conservationem societatis necessariũ, & in ipsa societate à Natura præscriptum. Non enim frustra sibi datam esse à Natura vocẽ
Arist. 1 polit. 2. sentit homo & orationem: natura siquidem nihil facit frustrà id quod cœlum, clementa, herbæ pecudes testantur: sed vocem ideo, ut esset indicium rei molestæ atq; jucundæ, & hanc quidem cum reliquis animantibus communem: Orationem verò sibi soli concessam esse divinitus intelligit, ut hujus beneficio tùm utilia inutiliaquè,

què, tùm honesta turpiaq; manifestaret: quæ certè frustra in Hominem contulisset Natura, nisi eum in animal Politicũ simul effinxisset. Hinc ergo patet, propensionem ad societatem civilem naturalem esse. In qua societate ordo non minus naturalis est, quàm ipsa societas: ordo, inquam inter eos qui regunt & reguntur, qui præsunt & parent. Etenim omnem, ut est apud Ciceronem, naturam necesse est, quæ non solitaria sit neq; simplex, sed cum alio juncta atq; connexa, habere aliquem in se Principatum, ut in homine Mentem, in bellua quiddam simile Mentis, unde oriantur rerum appetitus. In arborum autem, & earum rerum, quæ gignuntur è terra radicibus ineſſe principatus putatur. Constituta vero Dominatione & imperij potestate, id quoq; quod pareat & alterius ditioni subjiciatur apparet. Sic & Homo imperium habet naturale in bestias, ut præstãtius animal: & in homine ipso naturaliter dominãtur mens. estq; τῶν ἀναγκαίων, ut animæ potestati subjiciatur corpus, & menti atq; rationi ea subsit pars, in qua sunt affectionum motus: ne, si istic ordo perturbetur aut res exæquetur, perturbetur tota Humanitas. Quod si in ipsis Hominibus discrimẽ reperiatur tale, reperta jam dominatio, & constituta naturalis servitus erit. At in prima societate, quæ est legitima maris & fœminæ conjunctio, ex qua societate, domus oritur, in qua sunt Parẽtes & liberi Domini & servi: in eâ domo discrimen tale reperitur. Nam, qualis est animi Principatus in corpus, talis est Dominorum in servos: quale

verò

vero est Mentis imperium in appetitum, tale est parentum in filios: qui quoq; ut pareant, idipsum innatum habent. quemadmodum enim omnibus non modò Hominibus, sed etiam animalibus insevit Natura στοργὰς Φυσικὰς erga liberos; ita metum quendam indidit liberis, & reverentiam erga parentes. Constituta igitur jam in ipsis etiam Hominibus erit Dominatio itemq; servitus. idq; non ex institutione & more, sed ἐκ τῆς φύσεως. Aliter enim de servitute sentit Aristotales, aliter Iurisconsulti. Hi quidem servitutem contra Naturam esse perhibent: Aristoteles autem distinguendo rem, ut solet, duplicem facit servitutem, Vnam Naturâ, alteram Legibus constitutam. Servus à natura est is, qui ingenio, consilio, & virtute deficit. Servus lege, qui bello victus in alterius potestatẽ venit. Quot ergò reperire licet, qui ingenio, consilio & virtute deficiant: tot tibi servos propone, reges licet illi sint, regumq; filij. At eos negabis à naturâ esse? Intuere theatrũ omniũ rerũ, & in eo hoc unum animadvertes, quomodo inferiora omnia superioribus, ut mancipia dominis subijciantur. sic terra aquæ, aqua aeri, aer igni, omnia elementa, & ex eis mixta imperio cœli subjecta, & influentiam, & motum & lumen ab eo habent. quæ autem illa foret naturæ intemperies, in elementis, in plantis, in belluis ordinem dignitatis & servitutis velle præscribere; hominibus, quos illorum Dominos finxit, Imperium negare? Sed redeamus ad institutum. Demonstratum itaq; est, esse in ipsis quoq; Hominibus

Arist in 1. Pol. Instit. tit. 2.

Casus 1 Polit c. 2.

domina

dominationem à naturâ constitutam, repeririq; eam in societate Domus. Ad cujus ordinis Imaginem deinde efficta est Civitas: in qua qualis conjunctio est inter conjuges, talis est imperij forma, quæ dicitur Ἀριστοκρατική, cùm optimi & præstantissimi viri Reipub. præsunt. Præesse autem, ut hoc quoq; dicamus, oportet maritos semper, quia sint tales, qui præesse debeant, propter sexus præstantiam: quemadmodum optimos in Repub. præesse oportet propter sapientiæ & virtutis excellentiam. Quod si, quemadmodum Aristoteles inquit, imperiũ teneant mulieres, veluti illæ dotatæ dote, ut Megadorus Plautinus ait, dapsili, quæ in servitutẽ redigunt viros: tunc res depravatur, & jam est vitiosa administratio, & à naturali detorta: quale barbaricum & naturæ adversum imperium Amazonum fuisse perhibetur, quas appellat Homerus ἀντιανείρας, Ἰλιαδ. γ. id est, contra viros positas, seu eas, quæ vocantur viragines, &, ut Poëta cecinit, quæ cum viris audent concurrere: à quo genere devicti populi γυναικοκρατούμενοι sunt dicti: qualis est perversa Ægyptiorum consuetudo, apud quos virilis sexus intra domos residet, colosq; torquet, atq; feminæ foris alimoniam sollicitæ comparant, secundum Sophoclis Oedipum Coloneum. Idem in repub. superbia potentum gignit. Oligarchian enim vocant, quando unus & alter in Repub. Principes & auctores sunt consiliorum, ac cæteri, veluti fistulæ, sonum ab his inspiratum reddunt: quod tàm est contra naturam quàm cum viro mulier dominatur.

Aristot. 8. Ethic. Plaut. in Aulul.

AEn. 2.

Fontem

Fontem credo vos in maritali gubernatione videre ejus formæ πολιτείας, in qua optimorum & sapientißimorum consilio omnia in repub. administrantur, atq; ex illius defectu, hujus quoq; παρέκβασιν animadvertere. Sed sunt in domo non tantùm conjuges, verùm parentes & liberi, sunt in ea domini & servi: sunt in ea Fratres. Ad illorum imperium regia conformata est potestas. talis enim rex debet esse adversus subditos, qualis pater est erga liberos: qualesq; hi sunt erga illum, tales sint subditi adversus regem oportet. Quare Homerus, omnis sapientiæ humanæ & Eloquentiæ parens, regem laudando patris nomine non rarò celebrat. Et Herodotus scripsit: Persas Cyrum patrem vocasse ob clementiam & benignitatem erga sese. Augustus quoq; Suetonio teste, universos subditos non aliter quàm membra, partesq; sui corporis complexus est, nec Dominus dici voluit, sed pater Patriæ, ut ipso nomine Pietatem non potestatem præ se ferret. Officium autē patris consistit in νουθεσίᾳ κυρίου, & in παιδείᾳ & in nutritione. Talis sit ergò & bonus Magistratus: primum efficiat, ut vera doctrina in suis regionibus sonet: hinc curet disciplinam: ultimò sit nutritor & defensor suorum. In his consistit beata civium vita, quæ moderatori non aliter proposita esse debet, quàm guber natori cursus secundus, medico salus, Imperatori victoria. Qui secus imperant, eorum herile imò ferinum est Imperium: quale est in Tyrannide, cui volupe est violare omnia jura divina & humana, diripere privatas & publicas faculta-

Ιλιαδ. β.

Herod in Thalia.

Sueton. in Aug.

Eph. 6. 4.

Herod. in Thalia, in

facultates, exorbere sanguinem civium, grassari fraude, simulatione, sophistica, manifesta crudelitate, permittere improbis infinitam licentiam, ut latissimè vagetur omnis generis turpido. Restat Fratrum amor, quem simulacrum Natura fecit ejus gubernationis, quæ Δημοκρατία dicitur, in qua universæ multitudinis arbitrio cuncta reguntur. Nam quemadmodum inter fratres majorem minor observat; juris autem, quod est filiorum, communic existit: ita in Δημοκρατία qui virtute minus præstat, honore afficit eum qui plus præstat; libertatis autem precium & publicæ rei gubernatio ad omnes æqualiter pertinet. Atq; veluti; ubi παρέκβασις fit ab amore fraterno; odia, quæ inter fratres oriuntur, tantò sunt acriora & funestiora, quantò acrius est acetum, quod ex optimo & præstantissimo vino generatur: id quod vel unica Eteoclis & Polynicis historia testatur: sic, quando degenerat Δημοκρατία in ἀναρχίαν, fit in ea confusio cyclopica, in qua nemo audit alterum, sed ut quisq; est furiosissimus, ita plurimum auctoritate valet: estq; longè pejor Tyrannide, in qua cum locum habeat πρόσωπολυψία, fit, ut Tyrannus aliquos foveat ac defendat. at Anarchia neminì parcit, sed in omnes tanquã bellua quædã immanis æqualiter sævit. Ergò hic est ordo ad conservationem societatis humanæ necessarius: ordo, inquam, in ipsa societate domus à Natura præscriptus: juxta quem Remp. constitui necesse est, ut aut unus imperet, aut sapientes, aut tota multitudo, & cæteri pareãt. Eũ ordinẽ honore

disputatione trium virum illa, de optima Reip. forma, gravissima & illustri.

Arist. 1. Pol. 2.

honore affici & conservari natura præcipit, quod, perturbato illo, tota vitæ civilis societas perturbetur & pessum eat. Quod cum natura duce intelligerent viri prudentes, & Magistratus auctoritatem legibus munierunt, tanta severitate, ut; quanquam hoc durius est; si quis Principis statuam conflavisset, vel in ejus statuam lapidem jactavisset, lege Iulia Majestatis condemnarent: & patriam potestatem, tanquam fontem & fundamentum politici ordinis circumsepserunt, tum actione ingrati parentibus contra Liberos constituta, tum potestate ijsdem facta ingratos liberos exheredandi. Existimabant enim, & rectè existimabant, oportere rerum omnium, ordinum omnium, Magistratuum omnium confusionem sequi, si non in parentum metu & potestate liberi retineantur. Ostendi, Auditores, quomodo Dei noticia mentibus hominum naturaliter sit insita, & quomodo sacrorum cultus, & Sacerdotes & Magistratus ex φύσεως ἐννοίας defluxerunt, ostendi. Quæ cum ita sint, possumusnè dubitare, quin totum jus Romanum publicum, quod, latè acceptum, sacra, sacerdotes, Magistratus continet, originem ex ijsdem naturalibus noticijs habeat? Sed de jure Romano publico alio loco fortasse dicendum erit. Nunc ad reliqua pergamus Legis naturæ capita. Eadem Lex naturæ dictat, cùm Homo ab humanitate sit dictus (Homo sum, ait Terentius, humani à me nihil alienum puto) valde Hominis naturæ & ingenio, sævitiam, crudelitatem, homicidium adversari & repugnare. Seipsum enim

De quibus Cic. lib. 1. & 3. de LL. item de Magistrat. aurea bulla Caroli 5. & tres ferè po.

enim lædit, qui alterum offendit; quando nihil tàm simile est Homini quàm Homo, nec tàm aqua aquæ, aut ovum ovo simile, quàm Homo est Hominis. cui convenit & quod Esaias ait, Hominem Hominis esse carnem; & quod inter hominum sceleratorum genera Ανδροφόνους Paulus numerat, & quod Cicero lib. 2. de finib⁹ inquit: Omne animal simul ut ortũ est, & seipsũ & omnes suas partes diligit, & omnis natura vult esse conservatrix sui, ut salva sit & in genere conservetur suo. Ex hoc ergo principio juris præceptum ortum est, quo vetamur aliquem lædere vel fraude vi. unde vero descendit, quod omnium gentium legibus prohibita sunt homicidia, quod hominum corpora sacrosancta habentur, quod sarta tecta ab omni injuria conservantur? ab eo. unde lex Cornelia de sicariis, unde leges Iuliæ de vi publica & privata? ab eo. unde corporis & vitæ, nostrorum quoq; ac libertatis licita defensio ac custodia? ab eo. Ex eo ædes principio construximus muniendi caussa contra Homines & bestias, ut tuti ab illorum insidijs essemus. Ex eo nemini detrectandum collegimus, quod non minus hominem sauciet, qui famam lædit, quàm qui jugulum petit. Ex eo deniq; pro recuperatione aut defensione rerum bella atq; forenses velitationes introduximus. Sed & cupiditas procreationis non est propositi & consilij, verum juris naturæ. Cùm enim Homo ad conservationem speciei sit conditus, ultrò quoq; ad eam impellitur, ut caussa & fons hujus non in nobis, sed ipsa rerum natura repe-

sterio-res C. libri tractant. Es 58. 7. 1. Tim. 1. 9. Rom. c. 29. Gal. 5. ut vim ff. de just. l. 4. in pr. l. scientiam ff. ad L. Aqui. Menoch. lib. 2. cent. 3, casu 287 & 2. seqq. arbitrar. I. qq. l 1 §. cum ariete s. ff. si qua drupes.

l. 1. ff. de vi & vi armata. Camer. in Polit.

riatur. Quod etiam de consequentibus hanc procreationem intelligi potest. Nam cuncta complectuntur atq; fovent procreata & propagata à se. idq; in stirpibus quoq; & fructibus animadvertitur. Bestiæ autem pro suo partu quàm acriter propugnant? ut ille Leo Homericus Ἰλιαδ. ϱ: ut asinus, ignaviſſimum alioquin animal, qui pullo laboranti etiam per ignem ſuccurrit: ut Tigris, raptorem catulorum perniciſſimo perſequens curſu. Cui & hoc naturaliter adjunctum eſt, ut quod procreatum eſt, id à procreatore, ſenſu prædito, ametur. Ex quo perſpici poteſt, conjugia virorum & uxorum à Natura conjuncta eſſe: id quod veteres Academicos Peripateticosq; docuiſſe Cicero de finib. ſcripſit. Attico verò ita: Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi πρῶτον Φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα. Ex his jam colligere in promptu fuerit, qui hoc modo non conjungantur, eos eſſe aut eximios & divinos quoſdam, quemadmodũ veteres locuti ſunt, Homines (quod genus paucisſimos reperiri Plato affirmat) aut nihili & malos, extirpatores, quantum in ipſis eſt, generis ſui, & portenta quædam hominum, aut corporibus vitiatos. In quibus tamẽ omnibus cupiditatem naturalem procreationis remanere intelligendum, ſed aut reprimi, aut perverti, aut impediri. Etſi autem hæc cupiditas communis eſt omnium animantium & naturalis: in Homine tamen & peculiari hujus natura, quæ eſt Rationis & orationis, non eſt illa cupiditas, ſicut in beſtijs vaga atq; inordinata ſeu ἀτακτος, quemadmodum neq; reliquæ

Cic. 4. de finibus. Cic. 7. ad Attic. ep. 2. Plat. 6. de repub.

reliquæ appetitiones: sed deliberationem habet & moderationem animi & Honesti respectum. Ex quo naturæ edicto factum, ut & ætas & genus & naturæ eorum, qui copulandi matrimonio essent, in benè constitutis civitatibus definitæ sint: & ritus conjugiorum nuptiarumq; leges latæ: & adolescentiæ in utroq; sexu castitas ac pudicitia sancita. Cùm enim conjungi hi, neq; tamen Bestiarum more temerè ac vaga libidine conjungi debeant, consequens est, ut omnes, qui humanam, id est, suam naturam inviolatam conservare volent (nolle autem quisquam sine maximo scelere potest) integros se naturali & legitimæ conjunctioni servent, secundum veræ rationis præscriptionem. de quo ut summa animi tranquillitas & optima spes vitæ degendæ existere solet: sic in conscientia impuritatis atq; flagitiorum, gravissimè perturbari omnes consuevere. Hinc præclaræ sunt pudicitiæ Laudes apud profanos etiam Homines; apud Stob. serm. 65. & serm. 5. & 6. Tuo præsidio puerilis ætatis insignia munita sunt, ait Valer. Max. lib. 6. c. 1. Tui numinis respectu syncerus juventutæ flos manet. Te custode matronalis stola censetur. Hinc severæ sunt adversus adulteros pœnæ sancitæ, Lex Iulia de adulteris vel de pudicitia, quemadmodum vocatur in l. Reos & l. seq. C. eodem: apud Cumæos Lex ὀνοβάτα, de qua Plutarchus: apud Athenienses mors; apud Pisidas, quemadmodum Stobæus

de quibus. t. lib. ff. 23. 24. 25. & prior. 27. tt. lib. 5. C. & Nov. 12. & 22.

refert, pœna infamiæ. Nec obstat, quod multi populi passim stupra impunita reliquerunt, ut Lacedæmonij, Plutarcho teste: ut Persæ & Lydi, apud quos virgines cunctæ meretrices erant: ut Assyrij, Mauri, Babylonij, in quibus & nato genitrix, & nata parenti juncta erat, & pietas geminato crescebat amore. Hæc, inquam, non impediunt, quo minus Lex Castitatis sit lex Naturæ. Conscientiæ enim vis tolli non potest, quin damnet, quod tamen admittimus. Conscientia autem dictat, adulterium esse injuriam naturæ illudq; damnat, & tanquam fœdissimum crimen execratur. Ut autem conservationem speciei, ejusq;, quod procreatum est, amorem natura nobis ingeneravit: sic eadem parente facti sumus ad conservandam rerum distinctionem. Quod quare natura negasset Hominibus caussa nulla est, cùm stellis, plantis, lapidibus, proprias vires inseverit. Sed & ipsum Dominorum servorumq; discrimen, quod è natura paullò ante deduximus, distinctionem rerum naturalem comprobat. Præcipuè verò, cum nihil tàm consentaneum sit naturæ, quàm Ordo; ecquid à Natura magis abhorrere existimabimus, quàm bonorum communionem Platonicam? quæ propriarum rerum negligentiam gignit, quæ fontem liberalitatis exiccat, quæ pacem atq; concordiam civium, quantum in ipsa est, turbat. Nam quod in proprietate litigium est, id non ex proprietate possessionis, sed ex malitia & improbitate Hominis evenit. Est itaq; distinctio rerum naturalis: quod inde quoq; patet, quod

Tiraq. l. 7. de l. conub. Metã. 10. Arist. libr. 7. πολιτικ.

Aristoteles lib. 2. Pol. c. 3.

ab optimis

ab optimis legislatoribus semper pœnæ in Fures sint constitutæ, uti in lege Romanorum extantq; de hoc genere varij Tituli, Titulus de Furtis, de Abigeis, de Balneareis: Lex Iulia peculatus, Repetundarum, de annona; Lex Flavia de plagiarijs, & aliæijs similes. Sic apud Lycios Stobæus scribit, si quis liber furti damnetur, cogi eum servire. Vnde & fures servi sunt appellati, ait Nonius Marc. κλαπὴ μὲν χρημάτων, ἀνελεύθερον. ἁρπαγὴ δὲ ἀναίσχυντον, ut inquit Plato. In quam sententiam præclarè canit Hesiodus: Δὼς ἀγαθὴ, ἁρπαξ δὲ κακὴ, ξυνάπτιο δότῆρα. quo loco ξύναττον servitutem vocare mihi videtur: quod Domini in servos olim vitæ necisq; potestatem haberent: quos & leviſſima de causſa occidebant, antequam immanitas illa, Antonini Imper. constitutione, circumscriberetur. Sic apud cæteros etiam populos aliæ sunt in fures constitutæ leges: ut copiosè annotat Alexander ab Alexandro. lib. 6. Genialium dierum c. 10. Quin Valerius Maximus, lib. 8. c. 7. & Agellius lib. 7. c. 15. testantes, furti damnatum esse, qui jumentum aliorsum duxerat, quàm quo utendum acceperat: item qui longius produxerat, quàm quem in locum petierat; docent quanta fuerit primi seculi, ipsa natura monente, sanctitas & severitas in furto execrando & puniendo. Existimabant enim hi omnes, neq; tantùm existimabant, sed ex ipsa natura hauferant, qui furantur, eos distinctionē rerū evertere, perturbareq; pacē & quietē reip. inter cives, injuriā inferendo ei, cui suas res auferrēt.

Pla. de rep. Hes. 1.

Alex. ab Alex. lib. 6. g. d. c. 10. Val. Max. lib. 8. c. 7 Agell. lib. 7. c. 15.

Plaut. in vita Lycurgi. *Nec movet, quod Lycurgus fures adolescentes non damnavit, ut ait Plut. Id enim contra ipsius conscientiæ dictamen sanxit, quemadmodum etiam scribit sententiâ Franciscus Connanus in Commentarijs in jus civile. Ex rerum distinctione permutationes postea ortæ sunt. Nam cum non omnis ferat omnia tellus, eam ob caussam quadam permutatione necessitatibus humanis est succursum: ex permutationibus deinde reliqui penè contractus extiterunt. Est autem rerum, quas natura Hominibus ad vitam & victum largita est, possessiones sint propriæ: tamen proprias eas Natura esse voluit non aliter, quàm cum communicatione ad conservationem societatis necessaria. Quamobrem quemadmodum alteri non est eripiendum aut vi aut fraude, quod ipsius est: sic ita tenendum est proprium, ut simul de proprio colatur beneficentia & gratitudo: & in communicandis actionibus servanda est justicia,*

Cic. 1. off. *ne altera pars lædatur. Naturam inquit Tullius, ducem sequi debemus, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tùm artibus, tùm opera, tùm facultatibus devincire hominum inter homines societatem. Porrò eadem Natura dictat, Hominem ad agnitionem veri esse conditum: ideò veritatem esse in omnibus rebus amandam: quia nihil est tàm secundum ipsarum rerum naturam, quàm veritas, quæ est agnitio rei, & sermo de re, sicut res est: Et nihil tàm pugnat cum rerum ipsarum natura, quàm mendacium,*

quod

quod aliud dicit, quàm quod res est: ut de procis Homer. inquit ἔνθ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον. Itaq; miro consensu omnes tùm Poetæ tùm Oratores & Græci & Latini solo Naturæ lumine ducti mendacium damnant. sic Homer. Iliad. 4 οὐ γὰρ δὴ ψεύδεσι πατὴρ Ζεὺς ἔσσετ' ἀρωγὸς neq; enim mentientibus Iupiter pater erit auxiliator. & Plato in Dialogo de justo ait, ψεῦδος ἀεὶ ἄδικον. & Aristoteles lib. 4. Nicomachcorũ ψεῦδος vocat ψεκτέον, quia turpissimum est vitium & homine ingenuo & liberali prorsus indignum. Sed veritatis Encomia varia & mendacij vituperia, apud Ethnicos passim sunt obvia. Hæc ergo veritas omnium Artium inventrix est & procreatrix: hæc justiciæ est fundamentum: hæc societatis humanæ est vinculum. nusquam enim & nunquam tuta futura essent hominum inter se commercia, colloquia, ultimæ voluntates, contractus, pacta conventa, si impunè mentiri, si fallere, si jus calumniari, si falsa dicere liceret. Quod cùm natura Duce intelligerent Homines prudentes, factum est, ut optimis legibus cùm populi cæteri, imprimis verò Romani, de mendacij scelere, varias constituerint & condiderint leges. qualis est Lex Cornelia de injurijs: Lex Cornelia de falsis: Sconsultum divi Claudij, & aliæ ijs similes Principũ constitutiones, quæ omnes contumeliam & injuriam verbis factovè fieri vetant & prohibent. Deniq; lex naturæ dictat bonos favore, honore, & defensione dignos esse: malos

Odyss. γ.
Iliad. δ.
Plato.
Arist. 4. Et hic.
Stob. serm. XI.
Stob. ser. 2.
Cic. 1. offic.

malos verò, qui suis maleficiis societatem & tranquillitatem publicam turbant, & sunt communitatum pestes, esse coercendos & puniendos: quia ignoscendo nocentibus innocentum salus custodiri non potest. Ex hoc fonte officiorum distributio in Republ. geometrica extitit, & Iudicia nata sunt, quæ nihil aliud sunt, quã justitiæ administratio, qua & lites sopiuntur, & bonis præmia, malis pœnæ deferuntur. Cõprobat id Demosthenis vox: ἐντοῖς δικαστηρίοις ἡμῖν ἐστὶ ἡ σωτηρία. *comprobat id Cicero: Iudicia, inquit aut distrahendarum controversiarum aut puniendorum maleficiorum caussa reperta sunt. comprobat id Hesiodus eo loco, ubi significat, piscibus & feris & avibus quidem à natura concessum esse, ut se ipsos devorent: Homini verò justitiam esse datam, quæ sanè multò est optima. Ac profecto nisi judicia essent, homo hominem, potentior debiliorem, quemadmodum piscis lupus lupum, devoraret. quod quia non fit, sanctis id judicijs est acceptum referendum: in quibus oratione & sapientia dirimuntur controversiæ, postquam, rationibus collatis, veritas inquisita fuit, & justitia explicata. quare nihil quoq; ad hominis naturam propius accedit, quam forensis disputatio, in qua, ut dixi, veritatis & justitiæ fit inquisitio & administratio. Planum me fecisse arbitor, Auditores, quod initiò proposueram, haberi in natura id, quod in Legibus omnium gentium cernimus: quod autem in Natura habetur, id præceptis Dei congruere, nunc quoq; dicendum esset.*

de judiciis. publ. t lib 48. ff. & t. lib. 9. C. in Oration. περὶ τῆς συντάξεως pro Roscio Hes. I. ig.

neque

neq; hoc tantùm, sed illud quoq;, quodnam sit discrimen inter Leges Moysis & XII. tabularum præcepta, & inter disciplinam & obedientiam juxta Leges Solonis & juxta Leges Moysis. Verùm hæc ab alijs & alias dicuntur. Illud in principio hujus Lectionis Studiosis ob oculos statuere volui, ut in Animi nostri quisq; fabricam & dotes aspicientes consideremus, quantam vim rerum optimarum mens Humana contineat; & simul tanquam Boni officiorum rationatores computemus, cujus muneris colendi efficiendiq; caussa nati simus & in lucem editi. Imago enim Dei sumus, & ad justiciam, ut Cic. loquitur, nati, seu, in hunc finem à Deo creati, ut juxta normam Legis à DEO naturæ insitam consilia & actiones vitæ instituamus & gubernemus. Quisquis igitur es, qui tàm dissolutè vivis, qui nec Deum nec homines curas, cogita, quàm dignum Deo, quàm dignum te ipso facias! Agnatione & gente cum Deo teneris: tu teipsum scceleribus ac dissolutis moribus tuis filium facis Diaboli. Rationem cum Deo communem habes: tu rationem ita negligis, ut infra bruta te etiam abijcias. Noticias legum & virtutum omnium semina animo tuo insculpta circumfers: tu voluptatis, lasciviæ, mendaciorum, odij erga proximum omnisq; barbariei cœno, legum & virtutum semina ita obruis, ut te nihil magis sit ἄνομον, nihil flagitiosius. Resipisce, quisquis es, resipisce, ad mentem redi, redi ad teipsum. quanquam istud redire non est nostrum: est tamen in natura,

etiam corrupta, reliqua externa membrorum externorum rectio, congruens cum lege naturæ, imò ex ea profluens. Fit enim ea gubernatio cogitatione Legis in mente, & voluntate imperante nervis, ut externa membra sic moveantur aut contineantur, sicut Lex naturæ præcipit. Quam mentem & voluntatem nostram si illustrandam regendam, & confirmandam susceperit S. ille S: ne restaurabitur in nobis collapsa Dei imago: tantoq; ad agnationem & gentẽ Dei quisque propius accedemus, quanto majori contentione, Deo adjuti, studebimus militare bonam militiam, fidemq; & bonam conscientiam retinere. Quæ ut cogitare & velle possimus, efficiat in nobis ille, cujus solius est nostrum velle & facere: ille, inquam, qui vigore flammeo in corda se quærentium se benignus infert.

ORA-

ORATIO QVINTA.

DE BONO GVBERNATIONIS.

IMPERATORIS MANVELIS Palæologi Princeps, Carmine Heroico de Græco expressus.

Væ res conservet cives, quæ regna, quæ & urbes,
Hinc canere incipiam. Rex Regum, Christe, benignus
Linguam animumq; regas nostrum: tibi cognita soli est
Causſa, & quis pereant, vel stent quibus artibus urbes.

Haud quicquam majus VERO, præclarius autem,
Aut illo potius nil est. nam rector Olympi
Hanc genuit terris Divam, quæ VEra per omnem
Vitam investigat, retinet, fovet atq; tuetur.
Quam nobis cupiens ereptam subdolus anguis,
Inventor scelerum, tenebrosa nocte Tyrannus,
Mendacem terris Pandoram fraude maligna
Immisit. sed Spes, hærens in pixidis imo,
Efficit, ut raros in vasto gurgite nantes

Conspi-

Conſpicias, qui Vera adament faciantq; colantq;.
Hos inter ſunt magnum æquis qui legibus orbem
Aſtringunt, rerumq; Boni moderantur habenas.
Hi mentis grave pondus habent, hi publica curant
Commoda, perpetuoq; Bonum ſectantur amore.
Horum perpetuùm VEro redimita coruſcant
Tempora, quin faſces illorum & ſceptra ſuperba
Evibrant verum. VErum thronus Induperantum.
Illis nulla magis rex expedit, aut mage lucro
Nil eſt, quam VIRTus & doctæ copia linguæ.
Namq; his inſtructus ſtudijs ac moribus Heros,
Nil Aſias formidat opes, Arabumvè beatos
Theſauros. non funeſtis confertus in armis
Miles eum terret. non Lydi pala Tyranni.
Quin Cræſum ſuperat vi gazæ, milite Xerxen;
Teq; malum Gygen non ficto robore vincit.
Magnum Divitiæ atq; auri congeſtus acervus
Præſidium ſunt imperio, regnumq; tenenti.
Namq; gerendarum rerum momenta ferè uno hoc
Cardine verſantur nunc, cum verè aurea ſecla
Exiſtunt, ubi non agitur virtute, ſed auro:
Non pietate nec ingenio: decernitur auro.
Major theſaurus regni, majusq; Regenti
Præſidium, Pietas, Fandi prudentia, Recti
Et veri ſtudium, civesq; amor arctus in omnes.
Hæc faciunt regnum immotum, facesq; thronumq;
Confirmant, ac ſe Major ſit Principe Princeps.
Non aurum, non quod ſitiens ebur India mittit,

Non

Non pecoris numerosa cohors, non pascua læta,
Pascua, quæ Lyris tacitis circumfluit undis,
Conservare valent regnum & regno Induperantem.
Ni Princeps, & qui populi juga flectit habenis,
Sit sapiens, suaviq; oris dulcedine præstet.
Nam Crœsum tantis quid fascibus exuit? Aurum.
Fulvæ etenim massæ damnosa superbia juncta est:
Estq; gerens tumidos flatus in pectore stultus.
Crœsum igitur tam magnis Fascibus exuit Aurum,
Stulticiam gignens, quod dementaverat ipsum
Sic, ut laudatæ Virtutis gratia grata
Ipsi non esset, non in virtute repostum
Esse putanti aliquid, quod vel decus addere Regi,
Præsidiove queat, ceu muro, cingere Regnum.
Omnis sed Crœso fiducia stabat in auro.
Illi spes, aurum. DEVS, aurum. Vita beata,
Aurum. Mars aurum. cuncta Aurum cætera, quæ quo
Cunq; modo expediunda forent. sed quod tamẽ Aurũ?
Quod latitans possessorem pessundedit Aurum.
Non secus ac scopulus, quem vis ponti obruit alta,
Ille latet sub aquis, nec natutæ cernitur ulli.
At cum se ventis commiserit unda coortis,
Iamq; inter sese fulgentia prœlia fratres
Miscent, inq; polum tollunt cum turbine pontum.
Tum qui hinc atq; hinc disjectus fuit æquore toto,
Nec pauidum potuit nautam salvare, Phasclus,
In scopulum fertur præceps, atq; impete vasto
Concussas laterum tabulas prosternit in undas.

Sic

Sic Crœsum præstinxit opum furiosa Cupido,
Omnes ut contra ventoso corde tumeret.
Nec verò poterat quæ tandem cumq; superbos
Sors maneat, nec quod rapidis fortuna quadrigis
Invehitur, quæ summa imis atq; ima supremis
Miscet, prospicere. in tantum scelerata libido
Auri mentem ejus tenebris involverat atris!
Mors igitur fuit ipsi Aurum: subversio regni
Aurum. sic Dominum nummi res mortua perdit
Sæpe suum! Quod si divina voce SOLONIS
Admonitus Crœsus stolido de pectore stultas
Excussisset opes, & veras corde verendo
Concepisset opes, non regno exutus avito,
Impositusq; rogo flammas sensisset; at ille
Consilium sapiens, magni monitusq; SOLONIS
Respuit. haud facilè est, ut, quos semel occupat auri
Imperiosa fames, præter quod nutriat ipsam
Admittant aliquid. Sed quid cum Divite Divus,
Cum stulto sapiens cordata est mente locutus?
Nam pietate Solon & rebus maximus actis
Venerat ad Crœsum, Lydiæ qui sceptra tenebat.
Verum longe aliter sua carmina Palladis ales
Plangit. longè aliter metuenda invisa Minervæ
Cornicatur avis. num quisquam credere possit,
Voce conturnicis quod Psittacus ipse loquatur?
Auri mancipium Crœsus, flavo obrius auro,
Difficilis; tumidus; virtutis temtor; amator
Stultitiæ; sapientis opes pro crimine ducens;

Nil

Nil aurum præter factis atq; ore crepabat.
Magnanimus, sapiensq; SOLON, acerrimus osor
Stulticiæ, virtutis amans, facilisq; bonusq;;
Libera paupertas cui toto carior auro:
Pectora qui patriæ curis exercita habebat:
Nil præter verum factis referebat & ore.
Illam cum traheret non sano pectore mentem
Rex vecors. ergo stellantes undiq; gemmas
Induitur. pictæ radiabant murice vestes,
Auro intertexto undantes, clarisq; Smaragdis.
Ipsa coruscabat, flammas imitante, Pyropo
Regia. jamq; suos aliquis quò verteret oclos,
Aut illic Veneres Coi spectabat Apellis,
Artevè Lysippi, varijs, simulacra, figuris,
Concinnata, aut Praxiteles quæ marmore duxit.
Post, quo non melior quisquam nec amantior æqui
Vir fuit, ad sese magnum invitare Solona.
Nam satagebat eum stupefactum reddere tanto
Ornatu Crœsus: quo non erat acrior auri
Contemtor: qui non: vel si Berecynthius Heros
Structuram Serpentigerûm, cùm ad sydera montes
Congererent, regnumq; Iovis cœleste Gigantes
Impeterent, longè effrenes, multumq; superbi,
Aurum finxisset; motus quicquam inde fuisset.
Quin stultas sordes, & inepti emblemata Regis
Tantum splendorem sapienti corde putabat.
Hoc animadvertens Rex, vasto plumbeus auro,
Concutiens caput insulsum: an tibi quis me, ait, unquã,

O hospes

O hospes, visus qui fortunatior esset?
Hic sapiens: Novi Tellum, qui, cretus Athenis,
Ingenua postquam gnatos instruxerat arte,
Innocuosq; suæ vitæ traduxerat annos,
Tandem pro patria pugnans per vulnera mortem
Oppetijt pulchram. Hic, Rex, fortunatior ipso
Te fuit. huic contra Lydus flavo ebrius auro:
Ergo felices inter tibi Græculus omnes
Primus erit? tua quæ est sapidæ prudentia mentis?
Verum nunquid habes, cui des quoq; vitè secundas?
Immò, inquit Sapiens: habeo Cleobim atq; Bitonem,
Fratres corporibus binos, at mentibus unum:
Quorum cum genetrix peteret Iunonia curru
Templa, bovesq; jugo lassum subducere collum
Inciperent, ipsi reverenter dulce subibant
Matris onus, currumq; ad publica thura trahebant.
Pòst magnæ Divæ sacris, epulisq; peractis,
Noctem ipsam subitis liquerunt lumina fatis.
Felices animæ, famâ super æthera notæ!
Nam vobis Divum dono, votisq; parentis
Obtigit, absq; ullo gemitu succumbere morti,
Et nunc clarorum volitare per ora virorum.
Non tulit ulterius dictantem tale SOLONA
Vir Lydus. sed tristi irarum percitus æstro
Intonat. in nulla ergo, Hospes, me sorte reponis?
Tum sapiens: O Rex, Asiæ magne Induperator!
An nescis? quantis exposita hæc vita periclis,
Fortunæ varijs malè casibus usq; rotetur?

Ini-

Inq; vicem subeant sortis fatiq; labores?
Illa virum obscurum, cui solo cespite tota
Construitur domus, & pauper qui cultor agelli est,
Evehit, atq; opibus Pactoli & honoribus auget.
Illa eadem latè regem, gazisq; superbum
Deprimit, adversa permutans sorte secundam.
Huic si quis nimium confidat, non magè prudens
Is fuerit, quàm qui ferrum, quod subdolus hostis
Obtulerat, recipit, vel fractæ innititur hastæ.
At qui fortunæ superato turbine vitam
Tranquillus clausit: verè illum dico Beatum.
Nam veluti, si qui cursores Isthmia currant,
Certa prius fieri nequeunt præconia, quisnam
Laude pedum superet, quàm signum sit superatum,
Propterea spacium quod decurrentibus istud
Innumeri varijq; queant contingere lapsus.
At ubi jam fuerit decursa novissima meta,
Tum verò ingenti resonant spectacula plausu,
Atq; acceptat ovans sua pinea præmia Victor.
Haud aliter nemo debet dici antè Beatus,
Quàm vacuas placidè fuerit dilapsus in auras.
Sæpe etenim fit, qui lætis insignia facta
Auspicijs est ingressus, cùm vivere vitam
Iam se velle putat florentem atq; omnibus usq;
Casibus exceptam, subitò hic in limine primo
Occidat, aut medio cursu sors opprimat ipsum:
Anteq; succumbat, quàm possit cernere metam.
Hæc sapiens. at quis sapiens? quem Græcia tota

Suſpexit coluitq; unum, quemq; aureæ Athenæ,
Vrbs quamquam tum plena viris, quos ſecla futura
Miramur, tamen hunc oculis animoq; Solonem
Vnum ſpectabant, in vultibus unius hujus
Hærebant, hunc officijs ſtudijsq; colebant.
Non quod ei dives cultarum copia rerum
Affluëret. ſolos equidem nunc tempora noſtra
Suſpiciuntq; coluntq; Midas: jacet omnis honeſtas:
Aut quod muneribus captaſsit mobile vulgus:
Aut artem quod reppererit quam Mercurialem,
Auſpicijs cujus cives diteſcere poſſent.
Longè alia eſt ratio. nam divum pectus honeſtis
Artibus inſtructum & ſapientia corda gerebat.
Vnde quidem ſacrum, prudens, grave depromebat
Conſilium ſemper, ceu quodam gurgite vaſto.
Hinc itaq; effectum eſt, quos Græci tempore nullo
Majores factis habuêre, magisq; refertos
Pulcrarum rerum ſplendore, hos inter ut omnes
Totius ille unus mundi clareſceret oris.
Hinc, cum in præclara Tritonidis urbe coorta
Eſſet ſeditio, propter multum immoderatas
Vſuras, & quas roſeo Draco ſanguine leges
Scripſerat: ac jam Cecropidæ omni à parte feroces
Se condenſarent, atq; indignantia verba
Muſſarent, jam jam miſſuri ſaxa facesq;,
Moles tanta mali à ſolo diſcuſſa Solone eſt.
Cujus permiſſum fuerat fidei arbitrioq;,
Turpia legitimis concludere fœnora metis,

Palladiasq;

Palladiasq; bonis comprendere legibus arces.
Qui quoq; legitimis concluſit fœnora metis,
Palladiasq; bonis comprendit Legibus arces.
Nam cùm, vivorum qui glubunt corpora, Avari
Conſueſſent ortis orituros nectere fructus,
Sicq; exhaurirent cives, & nexibus urbem
Implerent, finem hunc prudens circumdedit illis,
Vt non plus quàm uſurarum diſſolveret aſſem
Debitor. hæc dicta eſt Centeſima, nomine facto
Hinc, quod cum menſes tranayerit ordine centum
Pulcra ſoror Phœbi, quæ noctis temperat horas,
Vſuræ exæquent ſortem: neq; nomina propter
Servitium quisquam porrò pateretur iniquum.
Dein, quoniam veteres rapiebant omnia Leges
Ad mortem delicta: Solon ſic leniit illas,
Vt pœnas inter civiles & capitales
Iuſtum diſcrimen faceret: de cæde, Draconis
Legibus exceptis tantum, nam caſibus iſtis
Majori pœna eſt opus & graviore rigore.
Eſt verò Legum ſeries benè longa Solonis,
Quas noſtra cunctas quàm poſſem voce referre,
Occiduo ante ſuos Sol mergeret æquore currus.
Tres tamen ex omni numero ſunt nomine primæ,
Quas cuncti ſcriptis laudant, ac ore celebrant.
Quarum prima vetat, niſi cum diſcrimine vitæ
Neutralem quemquam eſſe, ubi conjurata feroces
Excitat ira vikos. nam cùm mala publica dulcem
Exercent patriam, ſenſu decet illius omnes

Afficier cives, atq; ejus prima putare
Commoda: nec quemquam soli sibi ducere natum.
Desidiam prohibet tanto Lex altera zelo,
Vt qui frugiferos impresso vomere campos
Non colceret, vel quoddam aliud sequeretur honestum
Artis opus, ter convictus, quod turpia segnis
Ocia tractaret, punctum hic infame subiret.
Nempe animum vetitas cessatio ducit in artes,
Mortalesq; nihil faciendo pessima discunt.
Nam cùm mens hominis, divinæ particula auræ,
Perpetuumq; sit efficiens, quod nescit eodem
Stare loco, sed semper agit semperq; operatur,
Atq; ex uno alium semper contendit in actum,
Fit, quando in rebus se non exercet honestis,
Turpiter ut culpas tùm se provolvat in omnes.
Tertia Lex non permittit convicia dira
Expuere in quenquam, gelido quem funere raptum
Iam tenet alta quies. nam crimina dicere bustis,
Nec sanctum, neq; civile est, & ab omni alienum
Iustitia. scelus est, majus feritate ferina,
Quæ bene de multis merverunt, funera, cœcis
Scrobibus eruere, & truculenter pascier illis.
Ergo tantus erat Sapiens: quem Lydius Heros,
Ebrius innumeris opibus, præclara monentem
Contemsit. Cræsoq; SOLon projectior alga
Extitit, aut quæ salsa jocis per compita passim
Fabula cantando teritur, quam scurra per omnes
Exagitat vicos prorsum antrorsumq; trahendo.

Sed

Sed tandem, meruit quas, pœnas ebrius auro
Rex dedit. haud facilem vesana superbia finem
Sortitur, sequiturq; gravis Rhamnusia stultos:
Ergo ubi seq; suumq; satis Rex Lydius esset
Aurum miratus, tum verò triste parabat
Bellum inferre viro, factis supra astra celebri.
Nam Lydo cum nulla domi res expediunda est,
Ecce foras egressus rem sibi conficit ipsus.
At postquam CYRus, gemmis auroq; superbum,
Victrici dextra felix prostraverat hostem,
Et prædas inter ductum jam imponeret ipsum
Ultrici flammæ, tum quas agitasset inani
Spes animo tandem cognovit corde trementi
Crœsus: tum tandem didicit, quàm vera Solonis
Vox fuerat, qua respicere ad spacia ultima vitæ
Iussus erat: tum cognovit, quod fulva metalli
Congeries vastiq; auri preciosus acervus,
Non salvare queant regnum civesq; virosq;:
Num verò densus miles confinia regni
Dilatare potest, si qui, Dux, imperat ipsis,
Stulticiæ effrenes malè prudens laxet habenas?
Fervidus innumeras XErxes validasq; cohortes
Classemq; armatam, & rutilantes ære catervas
Legerat, illarum ut pariter famaq; minisq;
Græcia mœstifico trepidaret pulsa tremore,
Non secus, ut mare fit tremulũ, cum stringitur aura,
Pulcra velut quatitur stridenti Fraxinus Austro.
Verum, non numerus, non vis, sed vivida vincit
Virtus:

Virtus: quæneſcit fortunæ cedere Virtus.
Sed neq; cum paucis, ſi ſint probitate probata
Conſpicui, & nulla viciorum labe notati,
Improbitas æquanda venit, quæ pondere montes
Exuperet, turbavè excedat ſydera cœli.
Paupertas etenim, virtuti juncta, priori
Et potiore loco eſt, quàm dives copia rerum,
Quæ cupit aut metuit ſordesq; amat & mala luſtra.
Quin patre qui multum obſcuro & Therſite creatus
Hectora ſi factis referat, pietate Davidem,
Ille magis placet his, qui vita & pectore puro
Sunt, animumq; gerunt in ſano corpore ſanum:
Quàm pueri magnis è Centurionibus orti,
Queis præter veteres ceras, titulosq; ſuperbos,
Quos ſermone crepant ſemper, nil nobile reſtat.
Spretor erat ſuperum Xerxes, contemtor & æqui,
Vincula Neptuno minitans, cœloq; tenebras:
Exlex, mente ferox, cerebroſus, cui horrida ſemper
Ventoſa in lingua pedibusq; fugacibus arma:
Qui de illo, quem mente ſua conceperat igni,
Vel fumum Græcis conflagrandis ſatis eſſe
Ducebat, prorſus non gnarus Martis & artis.
Graij, cultores æqui, timidiq; DEorum,
Dextris apprimè fortes, belloq; ſecundi:
Docti pro patria & pro libertate beata
Se pugnæ objicere, & dulcem profundere vitam:
Magni armis, rerum majores attamen uſu,
Verſabantq; animos moderato in pectore magnos.

Ergo

Ergo LEONIDAS ingentia robora Xerxis
Excipit, & pauco profligat milite Xerxen.
Ipsæ tercentum fusos vidêre Laconas
THERmopylæ, qui pro patria perfortiter omnes
Occiderant: bis dena prius cûm millia in hostis
Agmine prostratos stygias Acherontis ad undas
Misissent. Sed tàm tumidas perferre cohortes
Nec vastum potuit pelagus. SALAminia testis:
Quæ Xerxen, rursus superatum, præcipitanti
Terga fugæ dare conspexit, cymbaq; petentem
Res patrias. at quem XERXEn? qui verbere virgæ
Nuper cædebat Pontum, qui ponte utriusq;
Terræ, Asiæ Europæq; oras conjunxerat audax.
Qui sibi pollicitus fuerat, spe ductus inani,
Sese non magno studio, facilive labore
Grajugenum subversurum res sedibus imis.
Deniq; qui stolidus sibi convenisse putabat,
Navigio ut latum terrai scinderet æquor,
Utq; pedes per fluctivagas incederet undas:
Hic domibus Graïs, & terra pulsus Achiva,
Turpis, inops, excors, celeri fugit ocior Euro.
Tum verò clades tàm pernicioſa superbum
Perdocuit Xerxen, foris haud quid sæva valere
Arma, domi ni consilium & benè provida mens sit.
Sed nunquid dolus infidus, fraudesq; malignæ
Conservare valent regnum & regno induperantem?
Nam GYGES erat Upilio, per læta balantes
Pascua lanigeras ducens. hunc annulus altos

Extulit ad fasces, & sceptra potentia GYGEN.
Ast tantæ Majestati durabile quicquam
Nil reliquum est, justum nil quicquam, nilq; beatum.
Nam quod honesti exsors, nec justum, neccq; beatum
Esse potest: non si describas ultima regni,
Ostia qui solvit Phœbo contraria, Gange,
Atq; papyriferi taciturnis fontibus amnis.
Contactu thalami Regis, furtisq; cruentis,
Atq; sui Domini furiali cæde nefandus,
Lydi conscendit regni fastigia GYGES.
Vnde gravi scelere & truculenta fraude, Tyrannus
Atq; suis Tragica vi civibus imperitabat.
Tuta autem stabilisq; diu Violentia non est.
Cumq; ubi vis regnat furibunda, ibi promta Voluntas
Non adsit, fit, cùm consortibus imperet urbis
Invitis NERO, vel quisquam Dionysius, ipse
Expostus sit cunctorum invidiæ insidijsq;,
Aut regno exutus turpem post ducere vitam
Cogatur, fœdis vel territus undiq; culpis
Diram præsenti pariat sibi vulnere mortem.
Ergo non aurum, non Miles, frausvè cruenta
Conservare valent cives, non regna nec urbes.
VIRTVS magnanimos Reges & regna tuetur.
VIRTus; quæ cœli numen reverenter honorat.
VIRTVS; quæ Patriæ pater est, consortibus urbis
Præfectus; Medicus; Curator; Pastor; Amicus.
Nam tantis cives virtutibus exornatum
Heroa observant, adamant, venerantur, adorant.

Quos

Quos ut in officio Rector facilesq; bonosq;
Contineat, videat ne cultæ copia linguæ
Desit, qua cives inter componere verbis
Ingentes lites, & mollia fingere corda,
Et possit mulcere animos. his tutior ibit
Artibus instructus, quàm si vel copia Crœsi,
Vel Xerxis miles, vel fraudes Gygis eundem,
Aut conjuncta simul, Fraus, Miles, Copia cingant.
Discite, qui rerum latè moderamina habenas,
Auro prudenter, prudenter milite vestro
Vti. cumprimis Pietas atq; incluta Virtus,
Quam lepor & prudens decoret facundia linguæ,
Vos teneat. Sic invictum jungetis & ingens
Præsidium vobis & inexpugnabile robur.



ORATIO SEXTA.

DE ORATORIS POLITICI NATVRA ET CAVSSIS

Premissa est lectioni Oratoris ad Qu. Fr. 24. Martij 1603.

DE Politico effingendo rectèq́; informando; cum alias semper, tum hoc tempore gravis est & ardua quæstio, eaq́; multis opinionum dissentientium quasi tempestatibus agitata. Alij omnium rerum cognitione instructum esse volunt eum, qui id tenere se profiteatur, quicquid prudentia & justitiâ dictante æquum bonum h. e. honestum sit ac salutare Reipublicæ. Alij sufficere huic existimant, si leviter perceptis & cognitis ijs, quæ ad Latinæ linguæ exercitationem pertinent, leges omnes controversiasq́; ad unguem teneat. Machiavelli politicus, si sit astutus, si fallere noverit, si pejerare, si ad utilitatem reipubl. omnia conferre, si tanquam sutor ex necessitatibus & incommodis propositis redundans aliquod ad civitatem commodum extruere possit, sive id virtute fiat, sive fraudibus; politicus est optimus. Nonnulli & corporis & fortunæ & ingenij dona & bona in eodem requirunt, utquè idem bonus sit miles, & bonus orator contendunt. Vt autem hæc quæstio miris modis est con-

controversa; ita res ipsa est omnium difficillima juxtà atque pulcherrima. quid enim cum majori labore conjunctum, quàm se natum aptum profiteri ad rempub. rectè gubernandam? Quid vero pulchrius, quid elegantius, quid suavius harmonico civitatis ex diversorum morum atque ingeniorum civibus constato concentu? Etsi autem meam ego hic tenuitatem lubens agnosco, potiusquè ex alijs, quid in tanta opinionum diversitate sequendum sit, audire malim, quàm, quid faciendum, ipse profiteri: tamen cum hæc ipsa à me suscepta sint, non gloriolæ alicujus desiderio, non contendendi animo, non vellicandi studio: dabitis mihi, Auditores, quæ est vestra æquitas, veniam, si pro more laudabili, quo receptum est, in exordio novarum lectionum præfari, de Oratore seu Politico hoc tempore aliquid præmittam. Atq; utinam! Auditores, utinam! de oratore oratorè vobis audire liceret, qui Ciceroniana facundia & divinitate dicendi vobis admirandam illam oratoris præstantiam ob oculos uno quasi intuitu videndam proponeret; nullum mihi foret dubium, quin rei tam eximiæ tamq; excellentis dignitas & majestas mirabiles sui in nobis amores excitaret! Sed cum litandum sit sale, thure si careas, spero & omnino confido, me de magna re balbutientem, si non laudem apud vos inventurũ, at certè in reprehensionem non incursurum. Dicam ergo, Deo benè fortunante, principio quidem de oratore, quid sit; deinde quibus ipsum artibus instructum esse oporteat, paucis dicam. Quod

dum

dum peragere instituo, vos omnes & singulos, quanta possum diligentiâ, enixe oro, ut me solita vestra benignitate excipere, ac breviter de proposito negotio perorantem benevolo & æquo animo audire dignemini. Oratorem variis definiri modis constat. Corax, quem primum Rhetorices inventorem Suidas pronunciat, & de quo natum ait proverbium κακὸς κόραξ κακὸν ᾠόν, angustissimis rerum forensium limitibus oratorem circumscripsit. Mnesarchus Stoicus, is, qui Panetij auditor fuit, non usu forensi quodam, sed perfecto sapientiæ & virtutum omnium cumulo eundem definivit. Menedemus huic detraxit Philosophiam, eumque ex mediocri prudentia descripsit. Schola philosophica oratorem iis metitur rebus, quibus nos Rhetorem propriè æstimamus, quem sola ornandæ & cum dignitate vocis & gestus exprimendæ orationis vi informatum ab omnibus aliis disciplinis separamus & secernimus. Sophistis, qui primi utilitatem ab honestate sejunxerunt, & res natura ac veritate conjunctissimas opinionibus hominum distraxerunt, & divortium linguæ ac cordis fecerunt; orator erat is, qui de quavis materia, in medium proposita, inani quadam verborum pompa, & ad aurium voluptatem accommodata ostentatione loqui se posse profiteretur. Ciceroni Orator est vir bonus, qui sapientissimis sententijs gravibusque verbis ornata & perpolita oratione, populi motus, judicium religiones, senatus gravitatem converteret; quique eâdem hac vi respublicas constituere & gu-

& gubernare, & adversus improbos defendere; denique qui tanquam rex quidam potentissimus ac magnificus supplicibus opem ferre, afflictos in spem melioris fortunæ erigere, de bonis suis periclitantes eripere, exilium timentes in civitate retinere, tandē in discrimine vitæ constitutis salutem dare oratione solapotest. seu, ut in pauca contraham, orator est qui facultate præditus est rempub. ad ejus felicitatem, docendo, dicendo, communicando, imperando, disceptando, judicando, prudenter & justè administrandi. Hæ sunt præcipuæ Oratoris definitiones. nam Machiavelli Politicus jampridem ex scholis nostris explosus est. Sed nos Coracis quidem oratore ad suum auctorem remisso: & Menedemo cum honestate ex theatro deducto: Sophistarum verò Sophista; quem Plato & Socrates exagitant, & mendacem, adulatorem, turpis lucri mancipium vocant; quiquè ab eo, quem cordati omnibus seculis Oratorem appellant, tantum abest, quantum loquentia ab eloquentia, linguæ volubilitas à benè dicendi facultate, fucus & cerussa à nativo colore, vanitas à sapientia distant, hoc, inquā, Sophista ad corvos amandato: de Ciceronis & Mnesarchi Oratore dicere hoc tempore instituimus. De hoc cum audimus Ciceronem disputantem, non imaginabimur ab eo informari Sophistam aliquem, aut tintinabulum fori, aut rabulam, aut causidicum, quæstus caussa cœlum, pietatem, honestatem atque animam ipsam venalem habentem, aut formularum conditorem:

ditorem: sed statuamus instrui & exornari virum Politicum, hoc est qui sapienter & ornatè dicere posit de religione, deq; alijs summis atq; maximis artibus ac rebus, quiq; instructus sit facultate tum regendi imperia, summorumq; principum consilia, tùm inclinandi voluntates populorum ac gentium, & vel incendendi languentes, vel revocandi excitatas. Atq; hic ipse, Auditores, est ille politicus, quem Vlpianus & veteres alio nomine Iurisconsultum appellant: qua quidem in significatione & nos hoc loco hoc vocabulo utemur. Ad hunc virum constituendum efficiendumq; quàm plurima adminicula requiri, vero est verius. in primis autem duo in eo concurrere necesse est, ingenium & doctrinam. Principio enim Politicum seu eum, qui reipub. operam suam olim vult locare, præstantem oportet esse ingenio, ut motus habeat & ad excogitandum acutos; & ad explicandum ornandumq; uberes; & ad memoriam firmos ac diuturnos; & ad respondendum promtos, & ad agendum alacres, aptos atq; cautos: quibus si quis destituatur, is non magis futurus est Politicus, quàm sine bonitate soli utilis agricola. Quid enim hic vel ad communem vitam fructuosum, vel ad culturam laudabile faciet, si ingenium soli quod arat, genio careat? frustra arabit, frustra tertiabit, frustra segetem sulcis committet, oleum & operam perdet. An verò, si nil profecturis littora bobus arari sentis, unquam existimaveris quicquam laude dignum in politices studio asse-

dio assecuturum eum, cui sit ingenium infelix & sterile? Ingentia pondera, quæ multis hominum viribus elevari vix possunt, machinis facilè tolluntur: ita ingenio quodam Portiano in rebus civilibus versaturo opus est tanquam machina quadam, quâ id, quod nullâ ratione potest, investiget, odoretur, seligat & efficiat. Suntq; hujus ingenij in adolescentibus certa quædam, quibus illud se effert, signa. quemadmodum n. indoles quædam est terræ & segetum, unde bonitatem illarum deprehendere & præcognoscere queas: ita quoq; sunt quædam γνωρίσματα, quibus naturæ atq; ingenij politici bonitas æstimari solet: cupiditas nempè laudis & pudor verecundiæ. Is enim, ut paucis rem totam explicem, ad politiam aptus futurus est adolescens, quem quidem immensa magnarum & honestarum rerum gloria & veræ laudis justa cupido inflammat, sed qui tamen pudorem honestum interim non abijcit. At, inquies, ecquis hominum ad Remp. aspirare unquam audebit, cum tam pauci aut ferè nulli reperiantur, qui tanto ingenij, quantum tu flagitas, acumine coruscent? cui enim uni dedit cuncta Deus? His, auditores, ita respondeo: primò non tantum extrema hic quæri, sed mediocritatis etiam rationem haberi, nec ab hoc studio arceri nisi ingenium prorsus sterile, & in quo alijs naturæ & virtutis bonis non compensatum unum atq; alterum vitium reperitur: cujus rei in principibus Romanis Curione, Antonio & C. Marco exempla luculentissima habemus

habemus. Deinde non tantum ingenium, sed & doctrinam requirimus, qua mediocria, meliora reddantur, vitiosa corrigantur, desiderata compensentur. Vt enim naturæ præstantiam & excellentiam ignava socordia miserrimè corrumpit: ita, si quod est vitium, quantumvis etiam grave à natura nobis quasi infictum, idipsum doctrina quam felicissimè corrigit. Doctrinam autem voco, omnium rerum maximarum & vitæ utilium præceptionem: Dialecticæ, Rhetoricæ, Philosophiæ, juris, historiarum, linguarum, rei militaris, Theologiæ. Atq; has artes futuro politico delibandas esse, tum ipsa dictitat ratio, tum experientia comprobat atq; testatum facit. Nam, ut hinc exordiar, quomodo de jure, quomodo de Imperio, quomodo de republ. de legibus, de constitutionibus imperij, deq; infinitis negotijs rectè disputare, quomodo persuadere, quomodo à sententia injusta semel concepta abducere poterit Iurisconsultus sine filo Dialectices, sine ornatu Rhetorices? An verò vel negotium publicum agere, cognoscere, judicare: vel justitiam & jus administrare: vel morum honestorum normam præscribere, actionesq; civium regere: vel omnia omnium hominum studia liberalia & officia honesta in republ. moderari: vel beatitudinem ac prosperitatem tùm Oeconomicam tum Politicam persequi, vel genera Imperiorum distinguere, unicuiq; reipub. suas leges, suos Magistratus, suam Iurisdictionem accommodare; initia, incrementa, conversiones rerumpub. harumq;

harumq; medicinas nosse; vel in Regum aulis cum magnis viris conversans, si in colloquium de causis naturæ rerum incidat, aliquid de his respondere; vel quomodo agros rectè dividi, castra rectè locari, arces rectè muniri oporteat, judicare poterit sine Philosophiæ cognitione; ipsi judicate. Quomodo autem sine juris noticia universas & singulas juris partes tuebitur & exequetur? Iam vero quomodo ortus & incrementa regnorum & horum obitus, quomodo res gestas Principum, civitatum, regnorum, quomodo legum constitutiones, quomodo superiorum temporum acta, de quibus in senatu sæpè est agendum, & ex præteritis futura sunt colligenda, quomodo, inquam, hæc omnia noverit, & oratione tractaverit, si historias ignoret? Atq; haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubitabo quod sentio dicere, eum, qui Politicum earum rerum, quæ ante nos actæ sunt, & linguarũ, græcæ cum primis & latinæ cognitione destitutum nobis commendat, idem facere, ac si pulcram Venerem sine pudicitia, fontem sine salubri aqua, puerum & infantem nobis prædicet concionatorem atque commemoret. Neque enim tantam in quopiam reperiri posse dementiam judico, qui Iurisconsultum inscitia & ignoratione Theologiæ armare ausit. Illenè in aliorum pietatem inquiret, qui ipse pietatis fundamenta ignoret? scire autem, quinam rectè vel secus de partibus doctrinæ Christianæ sentiant, quinam sint retinendi, qui dimit-

tendi, qui deniq; suo probè fungantur in secando verbo Dei officio, qui minus; nullo modo poterit is, qui nec certæ religioni est addictus, nec ipse Deum rectè colit: ut taceam, nullo modo ad deliberandum de rebus magnis atq; arduis aptum esse eum, qui mentem castitate atq; divino splendore non habeat accensam, nec posse hunc consilia salutaria dare, qui consiliarium omnium præstantißimum à se exulantem habet. Has ergo artes, has disciplinas, has divitias in Politico requiri, vos, quod scio, vestro jam comprobabitis, Auditores, judicio. Quæ quomodo acquirantur, & qua ratione comparari possint, etsi longus est sermo, tamen, quia in eum ingressus sum campum, attingam, sed brevibus. Nihil autem de divino præsidio hîc loquor, sine quo humana omnia vana, irrita, caduca, lubrica, peritura, novimus: quodq; ita in Politico hoc nostro desideramus, ut destitutum illo, nunquam ad frugem aliquam perventurum affirmemus. Humana tantum quæ sint, quibus tantam beatæ rei majestatem assequi quis possit, subsidia, hoc tempore vobis aperiam. Video, Auditores, vos erectis animis exspectare, quid sim dicturus: animadverto vos tacitè ratiocinari, quid nam illud sit, in quo mea se efferat oratio. Nihil novi, nihil inusitati, nihil, quod vobis antea auditum non sit, afferam. Sunt vulgaria, sunt trita, sunt omnibus obvia tantæ dignitatis comparandæ instrumenta: sed quæ ipsi aut non seriò, aut minus rectè observamus

& sequi-

& sequimur. Quæ sunt illa ergo? Auscultatio, Lectio, Exercitatio. Quotquot enim in præclaros & magni nominis viros unquam evaserunt; hi & audiendis præstantibus viris, & sedulò atq; cum judicio optimis in unaquaq; re legendis ac discendis auctoribus, & scribendo, peregrinando, observando, notando, & aulas militiamq; sive imaginariam, sive veram obeundo, consecuti sunt illud, quod ipsos ad summa quæq; in repub. eveheret, & ad excellentiæ culmen ascendere faceret. Quare si cupis eas artes, quibus, qui illas nacti sunt, clari & præstantes efficiuntur, consequi: AVSCVLTA, LEGE, EXERCERE. Tribus verbis immensum laborem, & diligentiam inexhaustam, & res plurimi temporis atq; totius vitæ complexus sum. Sed laconico dicendi genere utor, ut vestræ, Auditores, industriæ, vestræq; meditationi, atq; studio vestro multum tribuisse videar. Illud dico, optandum & votis omnibus expetendum; si nostras regias scholas ad exemplum Persicarum Academiarum ita conformatas haberemus, ut ad literas & arma juventus institui in ijs posset. sic enim futurum augurarer, ut ex ipsis prodirent verè Politici viri. Sed hæc magis sunt voti quàm facti. Supersunt scrupuli quidam, quos vestris animis ut eximam, ipsa dicendi ratio me admonet. Cum enim totam Politici viri vim animo atq; mente apud me complector; cum angustißimum vitæ spacium, vix uni artı discendæ sufficiens, mecum revolvo; cum ea hac

mea oratione requiri animadverto in Politico, quorum Idea verius quàm corpus extet; jam me ipsum condemno, & hanc vocem meam insciliæ, atq; iniquitatis accuso, tum omnes artes confundentis, tùm ea ab homine requirentis, quæ in hominem vix cadere posse videantur. Principio, Auditores, scio magnam nobis infligi plagam ab ijs, qui describendo Politico confundi à nobis clamitant artes: cogi in unum chaos disciplinas, justitiæ suum cuiq; tribuenti vim fieri. Quod ipsum ego quoq; palàm profiterer, si motis cujusq; artis terminis fundum politicæ seu Oratoriæ cum aliarum disciplinarum injuriâ tàm latè extenderemus. Sed quia tantum abest, ut in possessionem disciplinarum alienam irrumpamus, ut manu consertum vocemus etiam eos, quicunq; artes de possessionibus suis deijciant, & apud recuperatores pro disciplinis ex interdicto agere non dubitemus; cumq; professionem rerum suæ quamq; disciplinæ integram & inviolatam relinquamus: illud autem tantum suadeamus, illud cupiamus, illud exoptemus, illud moneamus, hos, qui ad rempub. accedere satagant, ut & omnium rerũ maximarum atque utilium cognitione, & easdem explicandi facultate se instruant: jam in hoc vestro, auditores, judicio satis refutatos esse calumniatores, oratoriamq; vestro calculo absolutum irri confido, planèq; perspectum habeo. Neq; vero hæc tam magnifica Iurisconsulti descriptio ab hoc tàm præclaro opere quemquam deterrere debet. Altis enim hoc sit mentibus inscriptum, quod & supra quoq;

pra quoq; dictum fuit, non hic à nobis summa quæq; requiri, sed in mediocritate nos ut plurimum acquiescere. Vt enim duplex est Eloquentia, alia heroica, quæ sapienter & splendidè dicere de quacunq; re, & motum, quemcunq; res & causa postulat, animis auditorum inducere potest, orta ex admirabili vi naturæ & multiplici rerũ & doctrinarũ cognitione: alia verò mediocris, quæ communi facultate contenta est explicandi res necessarias, non quidem sordidè & monstrosè, sed quodam ordine & tolerabili genere orationis: ita quoq; Politicum statuamus alium heroicum, alium mediocrem. Quid si quis excellenti ingenio atq; divino præditus in omnium rerum maximarum atq; optimarum doctrinarum cognitionem ita se induerit, ut sapienter remp. gubernare, ut de omnibus magnis & necessarijs rebus ornatè dicere, ut prudenter omnia agere, ut cives veris consilijs regere possit: eò ad summã jurisconsulti perfectionem nihil deesse profitebimur: quod si v. in primis quis consistere nequeat, is, hac nostra oratione excitatus, ingeniũ discendo acuat, doctrina excitet, meditando expoliat, exercitatione perficiat, operamq; divina adjutus gratia det, ut in secundis, vel tertijs, vel etiã in quartis locũ habeat. Ergo, non ut quemquã deterreamus, Ideam Iurisconsulti proponimus; sed multo magis, ut omnes, quantum in nobis est, ad divinũ studiũ incendamus, & excussa φιλαυτίᾳ atq; superbia inflammemus. Magna fuit & inimitabilis propemodum Demosthenis eloquentia, attamen &

cum esset, multi oratores magni & clari fuerunt, & antea fuerant, nec postea defecerunt. Illustris pictor fuit Apelles: ecquid nostræ ætatis pictores cum Apelle certare propterea desistunt, quod perfectio quædam in ipso fuerit? Pindarum quisquis studet æmulari, ceratis ope dedalea nititur pennis, vitreo daturus nomina ponto, inquit ille: qui tamen non tantum æmulatus est, sed & superavit atq; vicit illũ ὀλυμπονίκην. Nec verò Aristotelẽ in Philosophia deterruit amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadã scientia & copia ceterorum studia restinxit. Lutherus Megalander tantus in dicendo apud nos Germanos haberi potest, quantus aut apud Romanos Cicero, aut Græcos Demosthenes fuit. Nam in eo heroe Deus tam potentem eloquentiam esse voluit, ut unus ille contra Romanæ Ecclesiæ universa præsidia, contra auctoritatem Imperatorum, contra Regum & Principum furores ita valeret, ut suæ eloquentiæ arietibus universum Papatum concuteret, atq; velut Elias quidam labefactaret. nec in germanica lingua quisquam est quam ille verbis purior, schematib⁹ illustrior, sententijs crebrior, collocatione concinnior, in obscuris apertior & in apertis suavior. Nihil ab adversarijs acutè, nihil subdolè, nihil versutè inveniri potuit, quod ille non viderit, & quasi Oedipus alter non solverit: nihil, ut aliquando finiam, illius oratione grandius, nihil uberius, nihil ornatius, nihil deniq; verborum & sententiarum gravitate ponderosius. Ecquid vero propterea,

propterea, abjecta fuit & deserta relicta à Theologis nostris, qui Megalandrum Lutherum secuti sunt, eloquentia? Magnæ rei quantulumcunq; possederis, aliquid tamen possedisse non infima laus est. Vos appello, auditores, si quis vestrum adolescentior puellam conspiciat, vultu honesto & supra hominem eleganti ac formoso, capillis aureis, oculis splendidis, labijs corallinis, genis roseis & perquam amabilibus, & inter ridendum in parvam utrinq; foveam dehiscentibus, quæ alacri fronte modestiam, sermone leporem, factis castitatem, toto corpore decus, pulchritudinem, venustatem & palæstrã quandã præ se ferat ac quasi spiret: talem, inquam, puellam si quis vestrum adolescentior conspiciat, nonne in eam amore se quodam accendi sentiet? Sit nobis talis honestissima liberalitq; forma & omnibus bonis animi corporis & fortunarum cumulata virgo, illa quam supra descripsimus, Politica. An non in illam cupidi feremur? an non ad illam amplexandã atq; exosculandam totis viribus contendemus? an non ad consequendam manibus pedibusq; properabimus? & profectò quis adeo ignavus, quis tam gloriæ negligens, quis tã sui oblitus esse potest, ut res pulchras, utiles, honestas, splendidas non ambiat? Gloriam enim, omnium rerũ effector & conservator, præpotens ille Deus in suo verbo severè à nobis flagitat & postulat: gloriam optima naturæ inclinatio intendit: gloriam communis hominum voluntas expetit: gloria virtutum basis est, decoris fomentum, honestatis alimentum: gloria

omnium bonorum conda proma est : gloria remp. conservat : gloria sui cultores coronat, coronatosq; in arce Phidiæ, ut ab omnibus conspici possint, collocat : gloria si negligitur, si contemnitur, si jacet gloria, negligitur virtus, contemnitur justicia, jacet omne æquum bonum. Hanc autem quis despiciet? hanc quis nisi cum suo dedecore à se procul esse jubebit? Ad hanc ergo gloriã, auditores, vos excitamus, ad hanc vobis facem præferimus: ad hanc vos inflammare est animus. Exurgat, exurgat, Auditores, Thucydides, qui audito Herodoto, in Olympiis suas historias recitante, divinitus commotus lacrumas profudit. redeat in vitam Themistocles, cui Trophæa Marathoniane pugnæ somnũ excusserunt. reviviscat Iulius ille Cæsar, quem statua ad Gades Alexandro M. posita in altam spem erexit: exurgant hi, & voci meæ robur atque calcar addant, inquè vestris animis, auditores, amorem, diligentiam, ardorem & studium excuscitent. Et si Nero, impurissimus Imperator, fetidissimo Poppeæ suæ amore ita insanijt, ut amicæ suæ capillos; non tantum numeraret, sed & nomina, quibus unumquemque blandè vocaret, imponeret, & carmẽ de singulis faceret: agite, Auditores, non Poppeæ scorti, sed pudicissimæ & lectissimæ virginis Oratoriæ studio & amore incalescamus; agite omnes ejus divitiarũ arculas excutiamus: agite omnes ejus disciplinas non numeremus, sed quamq; ex suis sedibus acceptam, quantum homini fas est, addiscamus: agite nostra ingenia tum auscultando, tum legendo discendo

scendoq; acuamus, exercitationibus deniq; quisq; pro nostra virili augeamus atq; perficiamus, & in hujus tam pulcherrimæ, tam mellitissimæ, tam exornatissimæ heroinæ studio & stadio, Periclis, Themistoclis, Ciceronis & aliorum virorum in rebusp. præstantium exemplis, Deo adjuti, nos exuscitemus, ut, si stamus, ingrediamur; si ingredimur, curramus; si currimus, volemus.

ORATIO SEPTIMA.

DE BONO ACADEMIÆ.

Pronũciata est 29. Octob. 1602.

MAgnificentissime Illustrissimeq; Princeps, Domine clementissime, Magnifice Dn. Legate, Cl. vir D. CLINGI: Reverendi, Nobilissimi, Cl. Consultissimi, Doctissimi viri: juvenes nobilitate & doctrina præstantes: quod à DEO immortali precatus sum, cujusq; rei caussa tum, cùm mihi onus Prorectoratus imponi paterer, in templum vicinum conscendimus: ut hic magistratus præsidio Opt. Max., auctoritate Magnificentissimi atq; illustrissimi Principis ac Domini, Dn. ULDARICI, Stetinensium Pomeranorum

Cassubiorum ac Vandalorum Ducis, &c. Domini mei clementissimi: Reverendi Senatus Academici consilio: civium modestia, laboribus meis, feliciter decurreret: atq; mihi ipsum finito semestri cum bona bonorum gratia deponere liceret: ejus voti finem hodiernus dies attulit; idemque initium meæ ad Deum pro hoc beneficio gratiarum actionis fecit. Etsi enim negare non possum, quæ mihi malevolentia eorum; quibus, si tuo rectè fungi officio velis, semper placere, per est difficilimum: asperſa sunt peracerba, fuissa talia, quæ & Magnificentissimi atq; Illustrissimi Principis adversus me clementia insignis, & Clarissimorum Dominorum Collegarum fides certa, auctoritas gravissima, saluberimum denique, quod sæpissimè in rebus dubijs probavi, & de quo me in meo magistratu omnia administrasse, publicè profiteor, consilium: & conscientia mea sublevare & solari quodamodo potuerint: tamen & hoc fateri cogor, nihil fuisse mihi optatius, quàm ut in hoc portu navem meam navigare viderem. Quod quia hoc ipso die consecutus sum, antequam ad id, quod volo, accedam, cum pro more Academiæ laudatissimo hoc tempore ornandum mihi sit: faciam idipsum; &, si per vestram clementiam, generositatem atque humanitatem; id quod submissè & amanter rogo &, oro; mihi licuerit: de BONO *Academiæ dicam, non quantum debeam, sed quantum potero, quantumque hujus loci ratio patitur. Duo autem*

mihi

mihi præcipuè videntur esse, quæ scholam regiam exornant, & ad quæ tanquam ad scopum aliquem tum qui regunt Academias, tum qui reguntur, omne suum studium, omnes cogitationes, omnes operas suas referre debent: DOCTRINA & DISCIPLINA. Atq; Doctrinam cum dico, non has intelligo artes, qualis fuit ejus, qui Erebinthi grana ex certo intervallo missa in acum sine frustratione infigebat: aut qualis fuisse perhibetur circulatoris, quæ conspectus est Athenis, equestrem spatham præacutam mucrone infesto devorasse: neq; eas intelligo, quæ à vita ad mortem, à luce ad tenebras, à Deo animarum, & salutis nostræ amatore unico, ad Diabolum, capitis & fortunarum nostrarum hostem acerbissimum, deducunt: neq; illas, quibus, qui excelluni, scurræ sunt, sycophantæ, prævaricatores, aleatores, voluptarij, infames, manifestò improbi: sed complector hac voce omnium rerum divinarum & humanarum ad animæ salutem, ad corporis bonorumque defensionem, ad valetudinem, ad Ecclesiam, ad rempub. ad mundum denique ipsum conservandum pertinentium, cognitionem: atq;, ut paucis me explicem, per Doctrinam intelligo & Theologiam, & artem æqui & boni, & Medicinam, & Philosophiam, & logicas disciplinas & linguas. Has in scholis regiis tradi & conservari æquum est, & ipse postulat Academiarum finis. Sunt enim scholæ Regiæ institutæ, non propter luxum, aut otium, aut libidines, sed ut in ijs

prope-

proponantur & discantur artes & disciplinæ, tum quibus homo tanquam alis quibusdam sublatus, ad eam revertatur patriam, unde Protoplastarum peccato fuit dejectus; tum quibus idem exornatus partes reipub. creditas administrare, & bonum publicum ad gloriam Dei, cujus caussa conditus est, augere atq; amplificare possit. Quis autem hanc vim inesse dubitabit aut negabit ijs, quas paullo ante enumeravimus, disciplinis, nisi bardus sit, atq; ab omni ratione atq; humanitate alienus? Quid mentem nostram cognitione veri, commentatione boni, contemplatione Dei imbuit? Theologia. Quid rationem præscribit, quam qui sequuntur, ij rectè Rempub. gubernant? Theologia. Quid rei familiaris administrationem honestam, piam, justam nobis communicat? Theologia: cui si ancillentur Prudentia juris, Medicina & Philosophia; illa in corporũ, bonorum famæq; defensione: ista in valetudinis conservatione aut restitutione: hæc in rebus divinis & humanis, quantum homini fas est, cognoscendis: accesseritq; ad hæc linguarum, imprimisq; latinæ, græcæ & hebraicæ, artiumq; logicarum notitia: nescio quid deesse possit Academiæ, ad eum, quem sibi proposuit, hominẽ fingendum, nutriendum, educãdum atq; vestiendum. Hoc autem tantum Bonum, Concio Illustrissima aq; Clarissima, duabus quasi cruribus sublevatum in Academiis circumfertur, discentium sedulitate, & docentium fidelitate atq; concordia. Nam, ut qui & discunt & docent suo fungantur officio,

ficio, utq; Doctorum una in promovendo hoc Bono Academiæ sit mens, unus animus, una voluntas: maximo requiritur opere, atq; id adeò, ut, si hîc peccetur, tale quid committatur, quod à piaculo non longè absit, quodq; cum vastitate & solitudine Academiarũ sit conjunctum. Consistit autem potissima sedulitatis discentium pars in ordine & via certa seu methodo. Non enim is diligens scholasticus est, qui velut cæcus, viæ ignarus, per studiorum labyrinthos incerto motu errat, & per multos ac varios auctores, perq; disputationum oracula grassatur: sed qui primum finem ac metam, ad quam dirigenda sunt studia; quæ sunt cognitio multarum rerum, & facultas eloquendi; diligenter prospicit; qui deinde media ad finem illum assequendum necessaria, prælucente invocatione Dei, rectè eligit, hoc est, qui ordinem in discendo servat, & velut per gradus ad fastigium eruditionis ascendit: qui accuratè libellos summas artium continentes memoriæ mandat: qui privatim publicèq; lectiones de Præceptoris judicio audit, easq; repetit: qui certos & paucos eosq; optimos auctores eligit, legit, relegit: qui memoriam, totius eruditionis thesaurum & custodem quotidiè excolit: stilum optimum & præstantissimum dicendi effectorem atq; magistrum sine intermissione exercet: placidas sententiarum & argumentorum illustrandæ explicandæque veritatis causa institutas collationes celebrat: demum qui hæc omnia non levi brachio tractat, sed in his mediis parandis & tuendis ad-

dis adhibet intentionem animi, curam, vigilantiam, assiduitatem & laborem. Hæc qui præstat, hunc & re & nomine verè studiosum appellamus. Sed hic singularis quædam injuria huic Bono infertur. Multi enim, cum censeant se plus sapere quàm Thalem, stultiores barbaro Potitio, præceptorem benè monentem non audiunt, sed suo obsequentes genio, remotis repagulis, qua data porta ruunt: noctu foris obambulant, aut per lupanaria & popinas perreptant: interdiu stertunt: in plumis quàm auditoriis frequentiores: scortis quàm libris magis accubi, ita, ut si unam horam expectatione longius tenellus aliquis de illo grege puer à domo Cantaræ absit, statim veniant internunciæ Bachides, quæ eum avocent, tantisq; ambitionibus urgeant, ut ne quidem prandium ei indulgeant. Verum hos sui ulciscuntur tandem mores. Illud dolendum, esse multos, qui spretis, aut saltem à primo limine salutatis tumultuario modo artibus & linguis, saltu facto ad ea abeunt, quæ in omni scientia putantur prima & summa. O tempora! ô mores! Egredere mecum, quisquis es, qui ita sentis, ad Varni ripam, & aspice eos, qui in navibus ædificandis occupati sunt. Ecquid malum aut antennam, aut corbem, aut tale quid primò erigunt, cui alvum deinde & totam navis molem substruant? Non opinor. Quid igitur est? Primùm alvum navis sternunt, trabem illam imam, in qua navis fundatur, quam carinam vocant, quæ ejus fabricæ fundamentum est: huic postea

subligacula

subligacula immittunt firmissimè ferruminata, & costas, tanquã parietes, lignis arrectaneis in interiore & exteriore alvo suppactas, circumdant, quas deinde tabulatis, quasi tecto quodam plano sternunt, tandem ad extremum, corpore navis perfecto, arborem illam pineam ingentem, quam malum vocant, è modio in cœlum usq; educunt, cui & galeam circumjciunt, & antennãm cum velis appendent. An non in studijs & Eruditionis quasi ædificio extruendo idem censeas faciundum? profectò fundamentum hîc primò jacias oportet: fundamentum dico linguarum latinæ, græcæ, hebraicæ, & earum artium, quæ, quod ingenuum & nobilem hominem non minus faciunt, quàm deceant, liberales & ingenuæ vocantur. Iacto autem hoc fundamento, tum verò malum quasi & orbem superiorum scientiarum cum laude & nominis tui splendore superstruas licet. Quod si literas & linguas neglexeris, non tantum quicquid superstruxeris, corruet: sed etjam teipsum, sicuti caper barbam, igni, quem stultè osculatus fuerat, ambustam; deflebis olim: nisi præterea & rempub. atq; Ecclesiam, quarum partes regendæ tibi committentur, non sine infamia & furiis ultricibus posteritati prodideris. Alterum, quo bonum hoc doctrinæ in Academijs sustinetur, fulcrum, est Doctorum Fidelitas & Concordia. Ideò enim propriè Professores dicimur, ut doceamus, non ut otiemur, aut illis nos intricemus negotiis, ex quibus nobis plerunque accidat idem, quod Pictori,

qui

qui Herculem picturus, cum simul inspiceret Omphalem, neutrum benè expressit. Fideliter autem est docendum: quod ipsum requirit non tantum industriam & assiduitatem, verum etiam prudentiam, quæ ad discentium utilitatem & subjectam materiam enarrandi rationem dextrè accommodet: & voluntatem omnes cogitationes, omnia studia, omnes vigilias eò conferendi, ut bonum Academiæ publicum non tantum conservetur, sed honestè etiam amplificari possit. Ad quam rem tria mihi videntur perquam necessaria, collegarum Benevolentia, Humanitas & Dexteritas. Principiò enim, quid poterit vel admirabilius, vel ad publicum hoc Academiæ bonum augendum divinius excogitari, quàm si publicè privatimq; detur opera, ut quisq; suum ἐπεξάλλον, quod dicitur, μέρος suo loco & tempore ad rempub. literariam pro posse & nosse, uti vetus habet formula, benevolè conferat. Est enim Academia quasi navis existimanda: omnium qui in ea vehuntur, & imprimis Docentium manibus, consilio officioq; indiget: debetq; quisq; pro suis viribus niti, non modò ne illa evertatur, sed ut in tutissimum portum se recipiat. Verum multifariam hîc peccatur. Multi haud liberaliter sua studia ad communem usum conferunt, sed vel curiositate aversi, vel invidia excruciati, ab hac regia abducuntur via. Lamiam ajunt domi cœcam dormire, oculis in quodam vasculo repositis: foras autem egressam inserere oculos & videre. Ita multi πολυπραγμοσύνην tanquam oculos quosdam sibi aptant, & quod

quod in Comœdia est de Cleone, manum in Ætolis, animum in Clopidis habent: qualem fuisse accepimus Metiochum, de quo ludibrij & risus caussa dictum fuisse Plutarchus auctor est: Metiochus prætor est: Metiochus viarum procurator: Metiochus panes, Metiochus farinam distribuit: Metiochus omnibus præest: Metiochus infortunium habebit. Neq; tamen curiositas sola homines à tàm præclaro officio avertit, sed non pauci etiam stimulis invidiæ transversum acti, non tantum ipsi non ad rempub. literariam, quantum debebant, conferunt: sed veluti canes in præsepi, alios, à quibus ingenio & prudentia vel superari vel æquari se intelligunt, quo minus opera eorum in hoc regno valeat, impediunt. Quid de illa dicam calamitate, qua multi in consilijs dandis vel à rectè sentientibus in diversas opiniones, studio tantum contradicendi, abeunt: vel rectè dictas sententias aut deserunt, aut non nisi valdè segniter exequuntur? Hoc est, Auæidores, illud malum, quod ad labefactandum bonum Reipub. fenestras patefacit. Sed nec levius est illud, si collegæ humanitate destituti, alter alterius nævos ad vivum resecet, & in his nodum, quod ajunt, in scirpo quærat. Sumus omnes natura superbi: quisq; suum gremio Regem gerit: in omnium hominum cordibus afflatu serpentis accensæ Ambitionis flammæ ardent; singuli inter homines optamus majorum gentium Dij esse. Iram autè quis non sentit? quotus est quisq;, qui huic tàm potenti affectui non sit obnoxius? an non ira sapientes

etiam turbat ut peccent? Quid alios memorem nævos humanos? hic morosior est, ille facilior: hic honorum fugitans, ille gloriæ avidior: hic attentior ad rem, ille segnior. His & id genus alijs erratis nisi suus inter collegas sit ignoscendi locus, ecquæ erit inter ipsos concordia? an non perpetuis dissidiorum tempestatibus navis Academiæ jactabitur? an non odia, cum præsentissima Boni Academici violatione conjuncta, inter collegas flagrabunt? Quare ut conservarentur respub. literariæ, semper viri συμβιβαστικὸι humanitatem & mansuetudinem colendam esse statuerunt: imò aliqui cedere maluerunt, & injuriam manifestam devorare potius, quàm ut non cedendo aut non condonando publicam concordiam in discrimen aliquod conjicerent. qua quidem in re cœlestium orbium imitatores magnanimi illi viri esse cupiunt. Ut enim illi miris anfractibus sibi mutuò cedunt; ex quo obsequio dulcissimus ille fabricatus est Pythagoreus cœlestium consensus; Ita collegas decet cedendo, ferendo, placidequè contrà nitendo & concordiam retinere, & cursum, prudenter atq; honestè susceptum, absolvere. Ad quam humanitatem, si accesserit Dexteritas, sua virtute sanans, quod ab alijs peccatum sit, tùm omnibus partibus absolutum hoc fulcrum habebimus. Eam dexteritatem ut collegæ inter se celebrare possint, omninò necesse est, pectora eorum mutuo sinceri amoris vinculo ita colligata esse, ut qui ætate sunt honoratiores

ratiores, hi eos, quos aliquo intervallo post se relinquunt, filiorum instar diligant; juniores autem senecta affectos revereantur, turpequè existiment ipsis benè monentibus aut consulentibus obloqui: ut qui auctoritate valent, hi suum illud numen ad tuendos non deserendos, ad retinendos non eliminandos, ad erigendos non affligendos benè consentientes collegas: deniq; ad omnes partes reipub. amplificandas, & ad omnia membra scholæ curanda, non ad aliquos tantum ornandos conferant: ut qui eruditione excellunt, quiq; in prima, ut sic dicam, eruditionis cera sunt scripti, hi alios minus præcellentes, & in infima cera scriptos præ se non contemnant; neq; ijdem, vel neglecta vel obiter exornata sua sparta, falcem in alterius messem, idq; vel ad ostentandum vel ad alios premendum, mittant: sed honorificè de ipsis sentiant, cogitentq; ad domum domini non omnes aurum & gemmas, sed quosdam argentum, quosdam etiam pelles contulisse: denique, ut multa in pauca conferam: ut omnes, qui scholis regijs præsunt id enitantur, ut eum statum, qui scholis imprimis competit, Aristocratiam dico, efficiant, caveantq;, ne unus vel alter emineant, & reliqui veluti fistulæ inflatæ sonum reddant: sed potius imitentur septem illorum Græciæ virorum exemplum, qui, cum sapientiæ laude pares non essent, nemo tamen de alterius laude quiquam decerpsit, sed viri illi verè Aristocratici sic de sua sapientia censebant, ut alter alterum sibi

longè præferendum esse honestissimè existimarent. Hæres & jungit, junctos & servat amicos: ut supervacuum esse judicem, si ostendam, nihil esse facilius inter eos, qui vero amore sunt conglutinati, quàm ut alter alterius non tantum nævos boni consulat: sed etiam, quæ ab amico & collega nulla malevolentia, nullo dolo, nullo scelere, verum errore vel humana imbecillitate commissa sunt, aut sanet amicus, aut corrigat, aut in meliorem partem interpretetur. Quod si tum discentes tum docentes in scholis regijs hoc modo suum fecerint officium: nullum est dubium, quin Deus doctrinam, Ecclesiæ & reipub. necessariam, linguasq; & artes in ijsdem, tanquam cophinis quibusdam, sit asservaturus. Sed cum Doctrina sapientes, virtus autem bonos homines efficiat: Disciplinæ quoq; ratio in Academijs est habenda, conandumq;, ut non tantum docti, sed etiam benè morati discentes ex ijs discedant. Qua quidem de re quàm solliciti fuerint omnium seculorum populi & Academiæ, quantamq; operam posuerint in suis vel excolendis vel excitandis, ut externos mores ad præscriptum legis naturæ regerent, ut affectuum vitiosos impetus reprimerent, vitarentq; scelera: id eos, qui historias vel à limine salutarunt, latere non potest. Apud Persas publici justitiæ erant Magistri, qui liberos educarent. Lacedæmone in classes centuriati pueri à Pœdonomis, quos viros vitæ & fidei probatæ esse oportebat, publicè instituebantur: eratq; eorum disciplina parendi com-

di commentatio. Et quæ reliquæ Græciæ fuerit puerorum disciplina, id ex oratione Lydi Plautini intelligi potest. Sic enim ille Philoxeno seni nimis indulgenter filium habenti: Nego, inquit, tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ, digitum longè à Pædagogo pedem ut efferres ædibus. Vt interim nihil dicam de Academiarum, de Canonicorum, de cœnobiorum, quæ initio scholæ erant & officinæ eruditionis, severitate disciplinæ. De nostra tempestate fileamne an dicam nescio. Illud res loquitur, in tàm clara luce Evangelij tantam morum dissolutionem in Academias Diabolo Satore irruisse, ut fama ejus ad suppolares etiam delata multos deterreat, quo minus suos studiorum gratia ad eas mittant, sed potius ad alia collegia, disciplinæ caussa ablegent. O rem infandam! ô fatum luctuosum! propter vitia hominum malè audire scholas regias! nostrorum culpa cursum verbi divini impediri, malèq; homines suos politicè potius benè, cum jactura animæ, quàm malè & dissolutè, quod tamen & ipsum à dispendio corporis & salutis non abest, educari! Atq; Auditores, verè fatum hoc dicimus Academiarum, non quidem Stoicum illud, sed quod nos ipsis nobis ipsi fingimus, atq; Deo irato extruimus. Sunt enim corruptæ in Academijs & scholis disciplinæ caussæ permultæ, assentatio parentum: φιλαυτία spernens doctrinam: perversitas judicij: exempla: impunitas. Præcipua verò fundi nostri calamitas est institutio domestica prava.

Sic natura jubet: velocius & citius nos (gnis
Corrũpunt vitiorum exempla domestica, ma-
Cum subeunt animos auctoribus. unus & alter
Forsitan hęc spernãt juvenes, quibus arte beni-
Ex meliore luto finxit præcordia Titan: (gna
Sed reliquos fugienda patrũ vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Olim & apud Ethnicos & Christianos rigida erat puerorum institutio. Apud Græcos cum de palæstra reveniſſet puer domum, cincticulo præcinctus in sella apud Magistrum sedebat: tum legebat librum, si unam peccaviſſet syllabam, fiebat corium tàm maculosum, quàm est nutricis pallium: nec populi prius honorem capiebat suffragio, quàm magistri desierat esse dicto obediens. Quid? quod apud priscos ante omnia in id incumbebatur, ne quid insolens aut minus decorum quod esset, coram puero pater faceret aut diceret: neq; vir mali exempli, qui servilibus animos vitijs imbueret, in convictu esset. Nil dictu fœdum visuq; hæc lumina tangat, intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti, inquit ille. agnoscitis enim cujus sint hæc ipsa. Apud Christianos verò suos liberos à prima ætate parentes pietatem, castitatem, obedientiam aliasq; excellentes virtutes docebant: & ad illas colendas facem ipsis præferebant. Confer cum illa rigiditate hodiernam assentationem: cum illa severitate hodiernam assentationem,

cum

tum illa παιδοφιλίᾳ hodiernam παιδοκτονίαν. Deum immortalem quantum hîc inveniens calamitatis: quantum turpitudinis, quantum effeminatæ licentiæ! videas senem qui alea admodum damnosa delectatur; heres adhuc parvulus statim ejus studio capitur, & exiguo pyrgo ætatiq; congruo eadem ludi instrumenta movet. Videas patrem nebulonem & gulosum: hujus luxuria imbutus puer nondum dentibus renatis non absimilis à moribus paternis lautissimis obsonijs dapibusq; vult vesci. An putas Rutilium, qui nullam Seirenæ flagellis comparat, eum esse, qui doceat filium ut animo sit miti? An speras, filiam matris impudicæ castam esse? O turpitudinem! ô infamiam! ô dedecus domesticæ institutionis! Quid dicam de illis, quibus panis in ore nascitur? Vix fari incepit puellus, cum in gynecæis versari, ibiq; pro libro turturem capere, pro Gratia Cantaram amplecti, pro stilo saltatorium orbem versare assuescit. ibi imponit in manum alia ipsi pro graphiolo cauterium: alia pro elementis pietatis lagenulas: alia pro enchiridio nescio quid: discitq; puellus ille scitus jam tum exiccare trullas, ut universo dent fundo crepitum: discit jurare, ejurare, pejerare; discit cum improbis & nequâ chartulas lusorias tractare, vel anilibus colloquijs & apud colum natis tempus fallere. nec multò post clam parentes perterebrat parietes domus, atque inde per latebras erumpens noctu divagatur, potat, græcatur, atque sic mentem corrumpit, ut manè ad scholam reversus

sum ubi præceptor publicus tractare volet, fanaticum putet. Quod si fors pater ei adjunxerit domesticum pædagogum è trivio, quod hodie ferè facere parentes avaritia fascinati solent, is quod adhuc rectum in ipso est ad ingenium bonum, sua inscitia & nequitia perdit. Quid autem hi Ganymedes operæpretij in Academiis facient? Sincerum nisi vas, quodcunq; infundis acescit. Quemadmodum rota, si magno impetu ab aliquo moveatur, etsi postea, qui eam movebat, cesset; movetur tamen ad tempus ipsa per se ab impetu moventis impulsa: sic adolescens, malè domi institutus, huc consequitur ex prava educatione, ut vi illius atque impetu ad omnis generis mala & scelera atque flagitia, quocunq; cum ex domestica disciplina dimissum ablegaris, moveatur ac feratur. Quod si qui feliciori sidere nati, honestè domestica disciplina educati fuerunt, ut didicerint orare, Deum timere, complecti virtutes, obedire majoribus; honorare senes, omnem horrere turpitudinem: tamen sæpè fit, ut ubi in Academiam venerint, planè in contrariam partem flectantur. Quod nulla ex re alia eis evenire tam existimo, quàm quod hi plerumq; sibi blandiantur, persuadeantque eruditionem, quam nunquam erant adepti. Ex quo fit, ut, cum doctorum commercia & publicas lectiones atq; exercitia fugiant, incidant in corvos, in sycophantas, in adulatores, qui ægrũ & prurientem adolescentis animum vocibus suis fovẽt, cumq; nunc huc nunc illuc impellunt, atq; modò in

has modò in illas crepidines conijciunt, ut tandem ex stulto insanum faciant. Quanquam non diffiteor, esse, quos perversitas judicij perdidit, fingentis aliquid turpe esse, quod revera turpe non est, & virtutem pro vitio æstimantis. Quo quidem morbo ij maximè laborant, qui erroris quadam opinione seducti somniant, privilegia studiosorum esse pravilegia, seu, ut clarius dicam, immunitates, honores & dignitates in Academijs concessas esse ijs, qui impatientes disciplinæ & monitis salutaribus refragantes sunt, tantumq; suis efferis voluptatibus & cupiditatibus, quibus acies eorum hebetatur, & sensus omnes gravantur, imbecillesq; redduntur, indulgere gestiunt. Itaq; ij præclarum putant & studioso dignum, certare poculis, noctu grassari, boare, confligere, turbare vigilias, illasq; procul absentes convitijs & maledictis confodere: petulantiam pro pudore: stuprum pro pudicitia: fraudationem pro fide: scelus pro virtute amplecti: furorem præ intelligentia, turpitudinem præ honestate, libidinem præ continentia sequi: deniq; pietatem, sapientiam, doctrinam, æquitatem, præceptorum cohortationes, legum voces, tetro atq; immani immodestiæ & nequitiæ carcere conclusas tenere, atq; in his virtutibus triumphare, seseq; efferre, etjam adversus eos, apud quos, si decem ejusmodi impurus haberet linguas, mutum esse addeceret. Ediverso ignominiosum putant, & à studiosi nomine & dignitate alienum, si quis diligentiam in studiis adhibeat, si

piè, si caste, si temperanter, si ex præscripto præceptoris & rationis vivat, si deniq; caveat, ne cum bacchantibus bacchetur. Talem si reperiant, hunc non solum lepidißima natio ex studioſorum commercio, sed ex hominum societate amandat. Atq; hæ peſtes ſuo veneno quamplurimos, liberaliter & parcè domi eductos, inficiunt, quibus ſuo exemplo, ceu tempeſtate quadam, grandinem afferunt, imbremq;, qui quicquid in ijs eſt virtutis & verecundiæ deturbat. idq; tantò majori audent audacia, tantoq; facilius; quantò certiores ſunt, ſe impune hoc facere poſſe, non quoq; rarò ſuæ petulantiæ patronos invenire. quod enim illi accidit, qui, cum fortitudine quadam inſigni in medio convivio in menſam levandæ ſaburræ cauſſa depoſuiſſet ea, quæ honeſtè nominari non poſſunt, ut mille aureis, dono pro tàm egregio facinore acceptis, ad id genus turpitudines alias invitaretur: idem planè exiſtimabimus in ſcholas regias irrepſiſſe, ut patrocinio dedecoris multi ad petulantiam rapiantur atq; inflammentur. Sed quò gravior eſt diſciplinæ calamitas, tantò æquius eſt, hos, qui illius cuſtodes ſunt, id ſtudere, ut in tanta licentia morum minor ſit licentia, & in ipſo petulantiæ, quod nonnulli in Academijs extruunt, ſegno tamen aliquis virtuti & obedientiæ ſit locus: neq; propter paucos committere, ut frangantur animo, aut voluntatem abijciant, pro Bono Academiæ, pro doctrina & diſciplina tanquam

pro aris

pro aris & focis pugnandi. Semper enim in Academijs existunt divinitus excitati adolescentes, qui & rectam in discendo rationem sequantur, & honestè vivant, turpeq; ducant, vitam literariam secus faciendo dedecorare, scholas deformare, turpitudinis maculas præceptoribus inurere. Liceat mihi, Magnificentißime atq; Illustrißime Princeps, Domine VLDARICE, tuo exemplo uti. Facerem hoc te præsente nullo modo: nisi, quod dicturus sum, reverendi Academiæ patres, omnesq; ejus cives novissent. Meminimus & recordamur laudabilis istius orationis tuæ, quam ex hoc ipso loco habebas, cum primò Rector Academiæ hujus renunciareris: Te, si Academ. nulla alia re juvare posßis, id tamen omni studio effecturum, ut studiosæ juventuti pietatis modestiæ & diligentiæ exemplo præluceres. Hæc erat tua ista præclara vox, quæ etiamnum multorum mentibus & animis inscripta heret. Nec verò tantum vox fuit, sed & revera verbis facta æquasti: Tu religionem amas, pietatem colis, in actionibus modestiam sectaris, in studijs diligentiam præstas. in quo quidem laudatißima clarißimæ familiæ tuæ exempla, & imprimis Illustrißimi Principis Philippi fratris vestigia sequeris. Testantur id omnes domestici tui, tuiq; aulici, & in his, quos honoris caussa nomino, Nobiliß. Ioannes à Plesse, magister morum tuus; & Consultißimus vir, Martinus Chemnitius J. V. D. & Professor, hospes tuus; & ornatißimus studiorum

diorum tuorum formator Wilhelmus Marstallerus: qui te currentem incitant, & amore literarum ardentem monitis atq; exemplis inflammant. Testantur id tua facta & dicta, unicam & pietatem & modestiam redolentia: testantur id hujus Archei parietes, qui tuis eruditis oratiunculis propemodum superbiunt, & gestiunt, auditum à se Te Principem tàm doctè, pro ætatis tuæ captu, cum viris doctissimis, pro doctura in jure & medicina consequenda nuper disputantibus, conferentem: testatur id hodiernus dies, qui tibi fasces nostræ Academiæ, insigni isti pietati tuæ & regiæ modestiæ debitos, denuò committet. O beatum heroa, senem Principem, parentem tuum, Bogislaum, qui te genuit; quem verè beatum prædicamus, quod & veræ relligionis sit custos, & te procreaverit! O felicem nostram Academiam! tali Principe ornatam, qui rectè faciendo cives suos rectè facere docet, qui studiosis adolescentibus suo exemplo ita prælucet, ut si ad id se componerent multi, æquabilius & constantius se res Academiæ haberent, neq; passim querelæ audirentur. Boni tamen se tibi propositum habent, & te æmulantur: utquè id faciant sæpè sæpiusq;, faciat ille, qui omnia facere solus potest. Dixi de Bono Academiæ, de Doctrina & Disciplina, & quantum illud bonum sit, quantoq; studio in ejus conservationem & discentes & docentes conspirare debeant, dixi. O præclarum! ô admirandum! ô divinum Academiæ Bonum! Tu hominis oculos im-

los im-

los impietatis & nequitiæ cœno immersos abstergis, & radio cœlesti illustratos ad pietatem, Deumq; ipsum contemplandum cognoscendumq; trnsfers: Tu totius vitæ magistra es! tu benè beateq; vivendi speculum! sine te misera esset hominum futura vita, sine te societas leonina, consortiũ cum hominibus belluinum & immane! tu corpora nostra sanas, tu mentem, tu linguam tu mores formas! tuo deniq; beneficio stat Ecclesia, stant Politiæ, stat ipse mundus. te exosculẽtur omnes boni, te pascantur, te perfruantur omnes: tuo studio nihil utilius, tuo commercio nihil dignius: tuo beneficio nihil ducius, nihil suavius, nihil amœnius. Quod bonum cum Deus in hac Academiæ clementer hactenus conservarit, idemq; mediocrem nobis hoc semestri tranquillitatem concesserit, cùm omnes, tum ego imprimis grata mente reverenter tantum beneficium agnosco, & hac mea voce publica prædico: eundemq; ex intimis cordis penetralibus oro & rogo, ut Academiam hanc, ejusq; Conservatores & membra defendendos futuris annis semper suscipiat, &, quæ est ipsius paterna bonitas, inter nos conservet & colligat semen sanctum, à & quo hîc rectè agnoscatur ac colatur, & in omni æternitate celebretur. Deinde multam me quoq; debere intelligo, tum Illustrissimo & Magnificentissimo Principi ac Domino, Dn. Vldarico, Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum & Vandalorum Duci: &c. Domino clementissimo, tum Patribus Academiæ, reverendis

Cl. &

Cl. & consultißimis viris, Dominis & Collegis colendis, quos submißè & officiosè rogo, ut meam tenuitatem boni consulant, fidemq; ex voluntate potius quàm factis æstiment.

Nunc Prorectoratum meum depono, & quod faustum sit & felix significo, consentientibus reverendi concilij suffragijs secundùm electum esse Rectorem nostræ Academiæ illustrißimum Principem ac Dominum, Dn. Vldaricum, Stetinensium, Pomeranorum Cassubiorum & Vandalorum Ducem, &c. ejusq; Celsitudini ob pietatem & singularem atq; heroicam in omnes Docentes clementiam, Magistratum esse continuatum. Cumq; laudabili Academiarum consuetudine introductum sit, ut illustribus Personis, ex numero Professorum collega addatur, cum quo Illustrißimus Rector officium & labores communicet: significo, Celsitudini ipsius suffragijs ijsdem adjunctum esse Pro Rectorem, Cl. virum Henricum Paulli, Medicinæ D. & Professorem, collegam observanter colendum: eosq; electos, tum Illustrißimum Rectorem, tùm Magnificum Prorectorem publicè resigno & renuncio in nomine sacro sanctæ & individuæ Trinitatis, Dei Patris, Dei Filij, & Dei Spiritus Sancti.

Quare, Magnificentißime Domine Rector, Princeps Illustrißime, Domine clementißime, à T. Magnificentißima Celsitudine nomine reverendi concilij rogo & oro, ut T. M. Clementißimè patiatur, sibi iterum insignia, & alia ad Rectoris dignitatem atq; officium

officium spectantia commendari; ubi Tu prius, Clarissime Domine D. Henrice Paulli, ProRector Magnifice, in hunc locum, quod à te amicè contendo, ascenderis, & solitum juramentum præstiteris.

Iurat ProRector: Promotorem eligit: cursores juramento astringit.

INSIGNIA.

Quod superest, Magnificentissime Domine Rector, Princeps Illustrissime, Domine clementissime, recipies insignia Academiæ, SCEPTRA Duo, alterum severitatis ac coërcitionis, alterum clementiæ & defensionis symbolam: quibus MATRICVLAM, nomina eorum, qui ab anno Christi 1419. Iurisdictionem Academiæ agnoverunt, & adhuc agnoscunt, comprehendentem: LIBROS LEGVM ET STATVTORVM VETERVM, normam quandam actionum & consiliorum Rectoris Academiæ continentes: ARCAM item, in qua alia nonnulla ad gubernationem necessaria continentur: deniq; SIGILLVM, veritatis & fidei σφραγίδα, Magnificentissimæ tuæ Celsitudini ejusq; vicario, nomine reverendi concilij trado. Deum autem creatorem cœli & terræ, Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Filio & Spiritu Sancto res omnes gubernat, toto pectore, ardentibus votis invoco, ut istum T. M. C

Magist.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836/phys_0229
DFG

Magistratum Academiæ nostræ salutarem efficiat: utq; idem Illustrissimos & Celsissimos Megapolitanos Duces, Dominos nostros clementissimos, ut hanc Academiam cum Ecclesiis & tota republica florentes diutissimè conservet, & nos omnes faciat vasa misericordiæ & organa salutaria.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747097836/phys_0231
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747097836/phys_0232
DFG

los impietatis & nequitiæ cœn… gis, &
radio cœlesti illustratos ad pi… ipsum
contemplandum cognoscendu… totius
vitæ magistra es! tu benè bea… culum!
sine te misera esset hominum … e socie-
tas leonina, consortiũ cum hor… & im-
mane! tu corpora nostra sana… tu lin-
guam tu mores formas! tuo … at Eccle
sia, stant Politiæ, stat ipse mund… r omnes
boni, te pascantur, te perfr… uo stu-
dio nihil utilius, tuo comm… s: tuo
beneficio nihil ducius, nih… amœ-
nius. Quod bonum cum … ademiæ
clementer hactenus conserva… liocrem
nobis hoc semestri tranquilli… , cùm
omnes, tum ego imprimis g… erenter
tantum beneficium agnosco, … publi-
ca prædico: eundemq; ex im… ralibus
oro & rogo, ut Academiam … serva-
tores & membra defendend… semper
suscipiat, &, quæ est ipsius p… ter nos
conservet & colligat semen sa… c rectè
agnoscatur ac colatur, & in… elebre-
tur. Deinde multam me quoq; … tum Il-
lustrissimo & Magnificentissim… mino,
Dn. Vldarico, Stetinensium … , Cas-
subiorum & Vandalorum D… no cle-
mentissimo, tum Patribus … erendis
… Cl. &

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747097836/phys_0237
DFG